Q. D. B. V.

DISSERTATIO SOLENNIS PRÆCIPUAS CONTROVERSIAS MEDICO THEORETICAS SYSTEMATIS ORGANICORUM ET MECHANICORUM cum earundem ΕΠΙΚΡΙΣΕΙ

complectens

QVAM

CONSENTIENTE GRATIOSISSIMO MEDICORUM ORDINE

IN ACADEMIA MARCHICA

ut rite & legitime

GRADUM DOCTORIS MEDICINÆ

obtineat

SUB PRAESIDIO

MAGNIFICI, EXPERTISSIMI, EXCELLENTISSIMI VIRI

DN. CAROL. AUG. à BERGEN

M. D. & P. P. O.

h. t. ACADEMIÆ RECTORIS MAGNIFICI

ET FACULTATIS SUÆ AD HUNC ACTUM CONSTITUTI

PRO-DECANI

PATRONI ac PROMOTORIS SUI æternum colendi

H. L. Q. C.

defensurus est AUCTOR

CHRIST. ALEXAND. WYSOKINSKI, Polonus.

d. VI. Nonar. Maji A. cIↄ Iↄ ccxL.

FRANCOFURTI ad VIADRUM, impressit M. HUBNER.

PRÆNOBILISSIMO
atque
EXPERTISSIMO DOMINO CANDIDATO
S. P. D.

PRÆSES.

Quanta Tua in addiſcendis Artis Salutaris præceptis ab eo tempore quo Medicinæ operam navaveris, fuit diligentia, & quam indefeſſis viribus, ad metam, ſicut omnibus bonis, ita pariter Tibi præfixam, properaveris, non ego, quem ſæpius meditationum tuarum interpretem atque ſtudiorum comitem adhibuiſti; ſed imprimis inaugurale Tuum, haud proletariæ eruditionis ſpecimen ſatis ſuperque declarat. Gratulor Tibi

proin

proin de Tuis hisce profectibus, quibus, ut profundam satis theoriæ medicæ cognitionem prodis, ita non minus, quantum etiam practicis disciplinis operæ dederis satis manifestas. Et quoties circumspectionem & solertiam, in Te, statum ægrotantium curæ Tuæ commissorum, mihi referente mecum reputo, toties hoc Tuum ingenium ad praxin clinicam adprime natum solo usu & experientia ita excultum iri ominatus sum, ut quos Te feliciores quos expertiores propediem ægrotantes habeant Medicos, paucissimos, inveniant. Dab. Francof. ad Viadr. d. 2 Maji, 1740.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ.

§. I.

Qui ad ſcientias, earundemque ſolidam adplicationem opera ſua & ſtudio contendunt, id ſibi ſemper propoſitum habent: ut etiam occultisſimas tractationis ſuæ cauſas rimari velint, quin imo, eo usque procedere ſolent artis curioſi, ut quod aliquam ſaltem ſpeciem habet, ex quo impenſiorem cognitionem eruere posſint, omni ſtudio atque mentis intentione conquirant; ita ex iis, qui in addiſcendis ſalutaris artis regulis vires defatigarunt plurimi, non empiricorum more, ſolius experientiæ, verum etiam rationis fundamentalibus regulis, ſuam operam ſuperſtruxerunt, ex effectibus in corpore humano proditis, cauſas mutationis deduxere, atque præſentem corporis ſtatum ejusque mutationes feliciter divinarunt.

§. II. Accuratisſimis medicorum oculis illud non poterat ſubterfugere, quod vulgus quotidie obſervat, nimirum fieri in humano corpore continuo motus, non

ſolum tales, qui a naturali conſtitutione corporis ejusque fabrica proficiſcuntur, verum etiam tales, qui non ex natura corporis neceſſario fluunt, ſed potius ex libera diſpoſitione entis a corpore diverſiſſimi pendent. Priores medicis actiones vitales & naturales audiunt, per poſteriores vulgo animales intelliguntur. Cum itaque id ſibi perſpectum haberent, quemlibet illorum motuum variare ſtatum corporis, cauſam illius motus penitius introſpicere volebant; atque modum, qui fiat, ut diverſisſimæ ab ſe invicem ſubſtantiæ reciproce qua data occaſione multos & coacervatos effectus edere poſſint.

§. III. Et quamquam undique circumſpicientes, hanc entis incorporei determinationem nihilominus motu quodam in corpore ſaltem reperiundo ſeſe manifeſtare, & ad ſanandos morbos absque hujus phænomeni cognitione nihil ſibi deeſſe, certo certius perſuaſi eſſent, tamen felices hi minime ſua ſorte contenti, pauperem adierunt ARISTOTELEM, atque repueraſcentes quaſi ſcholam hujus philoſophi introiebant, qui auſtera quadam vultus gravitate & ſermonis efficacia ſtipatus diſcipulos ſuos docebat: Quoniam corpus nulla plane ratione gaudet, nihilominus tamen ita interdum movetur ut hujus motus *rationalis ratio* dari poſſit, conſequi: illum motum proficiſci immediate a ſubſtantia quadam ratione prædita; porro cum hi motus ſecundum liberam diſpoſitionem mentis proveniant, ſequi: quod ipſa mens principium & cauſa hujus motus exiſtat; & qvod reliqvi motus qui ſine determinatione mentis ſemper analogice & periodice fiunt, cum his motibus unum, diverſimode tamen directum motum conſtituant, conſequenter: pari ratione animam rationalem

nalem pro caufa efficiente agnofcant. De fenfationibus animæ, quibusdam adfectionibus corporis fubfequentibus eodem plane modo ratiocinabatur Philofophus, proinde etiam corpus caufam efficientem repræfentationum animæ conftituit. Ut vero quoque modum oftenderet, qui id fieri poffit, ita præcepit: anima tangit ac ingreditur corpus, ut cieat motus, & viciffim. Huic theorematі nomen SYSTHEMATIS INFLUXUS PHYSICI impofitum eft, & a tempore conditæ philofophiæ ariftotelicæ usque in hodiernum diem fat celebres viri illud defendunt.

§. IV. Medici qui huic fectæ pofthac addicti fuerunt, aliam denominationem fortiti funt & vocantur communiter ORGANICI, quia C. H. refpiciunt ut *Organum*, rem mortuam nullo prorfus motu gaudentem, uno verbo: idolum quoddam immobile, illudque impetu quodam incorporeo ad motum impelli, ut tandem moveatur.

§. V. Sed novioribus feculis Peripatheticorum fchola priftinum florem amittebat, exfurgebat Philofophus, homo qui fuo fenfu gaudebat, atque omnem antiquitatis autoritatem ejuraverat & debellabat RENATUS DES CARTES, fyfthema quod ommes uno ore ftabile & verum profeffi erant dubium fecit, atqve nexum inter motus corporis & cogitationes animæ a priftino diverfum & fublimiorem conftituit. Conceptus quos fibi de mente humana formaverat, non ita craffi erant quam Peripatheticorum, atque inventa fua non incomprehenfibilibus & catachrefticis terminis involvebat, propterea incorporei motus tactum in philofophiæ fuæ orbitis locare non poterat, & cum omnium naturæ effectuum caufas quoque naturales fuppeditare voluerit, admirabilia microcofmi phœnomena ad illa quæ in ma-

crocofmo confpiciuntur emenfus, corporis & mentis nexum talem conftituit: ut deus auctor & creator C. H. immediate ad qvamlibet mentis cogitationem corpus ita modificet, ut motus inde producatur harmonicus, i. e. qui cogitationi mentis directe refpondeat, & vicisfim, ita ut cogitationes animæ qvidem fint *cauſæ* motuum corporis, non vero *efficientes*, fed *occaſionales* tantum, interim corpus fit machina artificiofisfima, ejusqve mutationes fieri mechanice.

§. VI. Medici qvi principia Carthefiana pro fundamentis theoriæ medicæ pofuerunt, pauca aut omnino nihil de illa imediata Dei modificatione præceptis fuis admifcuerunt, omnes motus corporis mechanice explicantes, & vel figuram aut fabricam corporis, vel aerem aut ætherem pro principiis motuum corporis venditantes.

§. VII. Demum vero refpublica literaria natum in finu fuo vidit virum, cujus in fe merita orbis terrarum thefauris præcellebant, GODOFREDUM WILHELMUM DE LEIBNITZ prifcæ eruditionis reftauratorem, & novarum fcientiarum feliciffimum inventorem, qvi omnem lapidem movebat, ut huic arduo momento fatisfaceret, & certe ille fcrupulos removit omnes, qvi hucusqve hanc doctrinam de mechanifmo abfurditatis arguebant, fyfthema qvod de nexu mentis & C. H. condidit SYSTHEMA HARMONIÆ PRÆSTABILITÆ vocatur, & toti huic negotio lucem præfert & clarum efficit. In eo tamen ab omni judicio abftineo lubentiffime: an hunc connexionis modum ita confirmaverit, ut omni difficultate & exceptione plane liber fit, fufficit ingeniofiffimum hoc divini prorfus ingenii inventum a pluribus viris eruditis defcriptum non folum, fed & plurimis argumentis ad fummum probabilitatis gra-

gradum evectum esse, quos inter Coryphæi instar eminet celeberrimus CHRISTIANUS WOLFIUS in *Psychol. rat.* Id tamen observare non intermitto quicquid ante hoc inventum harmoniæ præstabilitæ Medicis de Mechanismo C. H. Subolfecerit, nunc demum obfirmatum esse.

§. VIII. Præmisi hanc de diversis inter corpus & animam nexus systhematibus brevem narrationem, quia omnis controversiæ cardo in his versatur terminis, & cum horum Systhematum nunquam visa fuerit demonstratio, sed eruditissimi D. D. tantum ingenii ostentandi causa has quæstiones inter se ventilaverint, non poterat aliud quidquam effici, quam ut per dialecticam artem hypothesium suarum veritates probabiles reddiderint, atque exinde aliis ingeniosissima sua inventa commendarent; verum cum quælibet harum sententiarum sub examen fuerit revocata, apparuit omnes mere Metaphysicis principiis inniti, & quando viri docti eas disciplinis præsertim doctrinæ morali, Jur. Nat. Politicæ &c. adplicuerunt, ubique insuperabiles fere difficultates reliquisse, propterea ego semper miratus sum, quid Medicos moverit, artis suæ certas rationis regulas, & non fallibilis experientiæ indubia testimonia, tam levibus Philosophorum lusibus superstruere, quin imo tanta verborum contentione, mentisque fervore tractare, ut proh dolor! expertissimi suis rixis sese imperitissimis contemtui exposuerint, quis enim est qui non videat has subtilitates potius ad scholas philosophorum quam medicorum pertinere?

§. IX. Cum vero ex mandato gratiosæ facultatis medicæ præscriptas theses quasdam Theoreticas, pro specimine inaugurali pertractare debeam, earum in qvibus Organici & Mechanici a se invicem differunt, selegi præcipuas, & amborum systhematum summaria paucis thesibus comprehendi, quas adnexa epicrisi fusius explicabo, ita tamen ut ubique a partium studio abstinere & meam qualemcunque sententiam modeste adferre, constans mihi propositum sit. Propterea ab utraque parte æquum judicium conatibus meis polliceor.

THESIS PRIMA SYSTHEMATIS.

Organicorum.

Theoriæ Medicæ fundamentum eſt: corpus quatenus mixtum & vivum eſt.

Mechanicorum.

Theoriæ Medicæ fundamentum conſiſtit in ſcientia, dirigendi vires corporis humani, ad ſanitatem vel conſervandam, vel recuperandam recto alimentorum, medicamentorum, & rerum non naturalium uſu.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

§.X. Qui ab utraque parte aurea praxi & feliciſſimo medicamentorum ſuorum effectu, immortalem nominis famam adepti ſunt, nunc de Theoriæ medicæ fundamento in diverſiſſimas partes abeunt. Cum autem veritas tantum poſſit eſſe unica, & quæ ipſi adverſantur neceſſario debeant eſſe falſa, id unquam accidiſſe nec fingendo cogitare potui, quo demum modo ficta alicujus ſcientiæ principia theorethica, in praxi bene & cum plauſu fuerint adplicata; Quapropter antequam in celebratiſſimorum virorum, diſcrepantes in hoc negotio ſententias diligenti meditatione inquiſiviſſem, ſtatim ſuſpicabar, vel neutram partem, vel ſaltem alterutram praxin ſuam ad theoriæ ſuæ fundamentum emetiri, mox autem delebat ſuſpicionem tanta virorum ab utrisque partibus ſtantium exiſtimatio, quos de re incerta, tot lites inter ſe movere, & ex ſolo hypotheſeos amore fervide adeo congredi, cauſæque ſuæ propugnatores conquirere velle nunquam mihi perſvadere potui. Itaque parum abfuit,

fuit, quin omne theoriæ medicæ ſtudium depoſuiſſem, & empiricorum ſectæ, qui leviſſimis Doctorum controverſiis ſe morari non patiuntur nomen dediſſem, re tamen penitus examinata, opportunum eſſe duxi paulo curatius in utriusque ſyſthematis tenorem inquirere, & originem diſſenſus invenire, quid vero ſtudio meo profecerim ex ſequentibus videre eſt.

§. XI. Quæritur hic de fundamento theoriæ medicæ; celeberr. FRIDERICUS HOFFMANNUS in *Med. syſt. Tom. 1. C. 11.* §. *10.* ipſam *theoriam medicam* ita definit, quod ſit *Rationalis & Demonſtrativa explicatio eorum quæ in Medicina fiunt, & quæcunque per alimentorum æque ac Medicamentorum & rerum non naturalium vires, ut ſanitas conſervetur & morbi propulſentur posſibilia ſunt*, quæ definitio ſatis bene ſeſe habet, & a multis Medicorum niſi totidem verbis, ejusdem tamen tenoris in ſyſthematibus habetur. Hujus itaque Theoriæ Medicæ diverſum nobis adducunt fundamentum, utriusque ſyſthematis propugnatores, quid vero per vocabulum fundamentum intelligant, id ubi ipſi non declararunt nos pace tantorum virorum conjiciemus.

§. XII. Priores Organici exiſtimant fundamentum illud eſſe: *Corpus quatenus id mixtum & vivum eſt:* evolvatur excellentisſimus, & eruditionis medicæ fama noſtro ævo celebratisſimus GEORGIUS ERNESTUS STAHL in *Theor. Med. pag. 185.* mixtum ſcilicet ex elementis chymicis, & vivum, i. e. quod per impulſum animæ rationalis agitatur. Singula ſeorſim percurremus.

§. XIII. Primo itaque quod attinet illam mixtionem ex elementis chymicis, exiſtimant mechanici: ejusmodi mixtionis elementa, quorum mentionem facit autor, theoriæ Medicæ fundamentum non conſtituere, etenim tan-

tantum abest, ut elementa chymica, quæ ex corporis partibus analysi chemica tractatis proveniunt, sint vera mixtionis corporis elementa, ut potius quoad maximam partem sint effectus ignis, exemplo salis volatilis & olei empireumatici per vim ignis ex solidis & fluidis corporis nostri partibus elicitorum, quæ nemo unquam in corpore humano ante ejusmodi operationem vidit. Deinde cum excell. STAHLIUS huic mixtioni omnem fere superstruat physiologicam notitiam, ad quam secundum doctrinam Mechanicorum accurata cognitio præcipue Anatomes Physices atqve Mechanices pertineat, nimis oscitanter de Anatomes & Physices studio sentire videtur putatqve *in Theor. Med. p. 573. Organorum simplicem historiam sufficere, nec quidquam ultra nudam illam intellectui patere* & quod miror modernæ anatomiæ eiusqve intimiori indagationi triste exilium his verbis indicat: *Imo ita demum à Medicis etiam abesse volo atqve jubeo l. c. p. 69.* Nihilominus tamen recepta est apud omnes fere hæc communis opinio: eos qui medicinam profitentur nisi summam barbariem foro medico inferre velint, perfectissimam, quoad fieri potest, partium C. H. cognitionem, earum naturam, inter se harmoniam, & compositionis artificium nosse debere; de eo enim experientia optime testatur, quod, quo quis pleniorem notitiam structuræ alicuius visceris, vel partis C. H. sibi comparaverit medicus, eo majore certitudine de huius visceris vel cuiuscunqve demum partis functionibus & usibus in C. H. sententiam ferre & praxin huic notioni adæqvare poterit. Physicæ non magis quam Anatomiæ favet laudatus Autor, dum C. H. *physicam considerationem, in theoriam medicam traductam, ullo modo medicæ artis vero directo scopo respondere, nedum solide servire* arbitratur in sæpius c. l. p. 61. quod quo paradoxius est eo

for-

fortiore indiget demonſtratione; ego interim illorum dictis fidem habeo, qui ex phyſica ſua notitia multum in arte medica profeciſſe perhibent.

§. XIV. Corpus humanum ut alterum theoriæ medicæ fundamentum ponunt Organici tanquam vivum, quod accuratam conſiderationem omnium in corpore motuum involvit, hos omnes quotquot demum fiunt in corpore, ex immediato animæ rationalis actu, ſeu cauſa impellente deducunt; Qua propter Medicus Theoreticus, id ſecundum eorum ſententiam ſibi perſpectum habeat, qua ratione nimirum C. H. vivum ſit, quatenus cum anima rationali conjunctum, mobile, & rationaliter agens ſtructuum ſit, proinde eſto Pſychologiæ & Methaphyſices gnarus, & ſi hæc ſtudia diligenter ſecum invicem conjunxerit, optimos in arte ſua quam deinceps addiſcet progreſſus facere poterit.

§. XV. Ex quo facile concludo, eos *Theoriæ Medicæ fundamentum* appellare: *Scientias ex quibus reliquæ Theoriæ Medicæ tractationes faciliore methodo comprebendi poſſunt.* Et certe non inepte ratiocinantur, qui enim talia ſtudio ſuo jam adſecutus eſt, ut organorum ſimplicem hiſtoriam §. 13. atque Pſychologiam & Metaphyſicam §. 14. calleat, is in arte medica plus proficiet, quam qui hominem ut ſimulacrum Nebucadnezaris reſpicit, aut ex luto et plumbo conflatum eſſe exiſtimat.

§. XVI. Sed audiatur & altera pars, prodeat Mechanicorum familia. Hi organicam definitionem imperfectionis accuſant, nec ſuis utique deſtituuntur rationibus. Primo enim, uti omnino eſt credunt: eos objectum theoriæ medicæ pro ejus fundamento venditaſſe, ſed quid refert, ſi duo vocabula fundamentum & objectum pari paſſu ambulare arbitrentur: Deinde objiciunt illud

theoriæ medicæ allegatum fundamentum non omnem ſcientiam medicam comprehendere, ſiquidem ex contemplatione corporis mixti & vivi tantum partes quædam theoriæ medicæ addiſci poſſint, e.g. Phyſiologia quæ ſecundum eorum ſuppoſitum §. 13 phyſicam medicam comprehendit, & quatenus ex hujus ſcientiæ principiis veræ vitæ ac ſanitatis cauſæ erui, motuumque qui conſervant corpus noſtrum, indoles & uſus explicari poſſint. Inſuper etiam Pathologia, in qua genuinæ mortis & morborum cauſæ atque effectus ex ordine motuum ſuorum perverſo exponuntur, huic fundamento ſuperſtrui poſſet, at reliquis medicorum ſcientiis Hygieine, Therapeuticæ, Pharmaciæ, &c. hoc allegatum fundamentum non ſufficit. Et re vera ita res comparata eſt, ut ſi vel omnem corporis humani cognitionem poſſideas, nec ſcientiam medicam applicandi artem didiceris, nec herbarum, mineralium &c. vires percontatus fueris, te parum aut nihil in theoria medica profeciſſe fatearis neceſſe eſt.

§. XVII. Interim Mechanici aliud theoriæ medicæ fundamentum effoderunt, quod ſupra jam illo Organicorum oppoſui, quodque conſiſtit in *ſcientia dirigendi vires corporis ad ſanitatem vel conſervandam, vel recuperandam, recto alimentorum & medicamentorum & rerum non naturalium uſu.* Vocant illud fundamentum *ſcientiam* quia in theoria medica ex certis & indubiis principiis omnia debent demonſtrari, diſtinguunt ſtatim ab objecto, addita hac differentia: quod hæc ſcientia verſetur in dirigendo vires corporis ad ſanitatem, ſupponunt quod cæteri deſiderant, ſcilicet, perfectiſſimam corporis humani cognitionem, non ſolum quid per ejus naturæ vires poſſibile ſit & fiat, ſed etiam vires illas inordina-

dinate & ſanitati contrarie agentes ita dirigendi ut omnes ad finem ſuum ſalutarem conſpirent, adjiciunt quoque quibus mediis utantur ad finem obtinendum, ſc. recto alimentorum medicamentorum & rerum non naturalium uſu, ut hæc omnia cel. HOFFMANNUS per quam egregie deſcripſit *Med. Syſth. tom. 1.* & ſic ſupra memoratas §. 16. Hygienem Therapiam Pharmaciam &c. ſimul comprehendunt.

§. XVIII. Ut autem dicam quid res ſit: neutiquam hæ theoriæ medicæ, & ejusdem fundamenti definitiones ſibi contradicunt, potius hæ lites optime ſecum invicem conciliari poterunt, ſi quisque quid vocabulum *fundamentum* ſignificari velit indicet, tunc videbitur eos meris verbis certaſſe.

§. XIX. Interim cum fundamentum alicujus ſcientiæ frequenter admodum ſignificet ejusdem *principium, ex quo omnia argumenta quibus cuncta ſcientiæ propoſitiones demonſtrantur*, atque ejusmodi principium raras admodum in ſe qualitates comprehendat, ſemper accidit, ut nihil fere difficilius ſit quam ſcientiæ cujusdam principia invenire, etſi etiam Medici manus operi admoverent, ut theoriæ ſuæ tale principium ſibi ſtruant, non temere ipſis illam D.D. Juris Naturæ fortunam divinabor, qui de ſcientiæ ſuæ principio ad nauſeam usque controverſi ſunt, nec tamen quidquam certi præſtiterunt.

THESIS SECUNDA SYSTHEMATIS

Organicorum.	Mechanicorum.
Corpus humanum eſt inſtrumentum animæ, & conſtat ex organis, ſolidis & fluidis partibus.	Corpus humanum eſt machina conſtans ex partibus organicis compoſitis, in quorum ſtructura continetur eſſentia corporis, & ratio ſufficiens omnium ejus actionum.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

§. XX. Quoties hanc Medicorum controverſiam mecum reputo, toties illud ſapienter dictum: *quantum eſt quod neſcimus*, animo obverſatur. Verum animal illud curioſum homo, abdyta ſapientiæ divinæ ſua ratione rimatur, ad quorum tamen cognitionem ipſi nec vitæ ſpatium, nec intellectus vires nimis circumſcriptæ ſufficiunt, nihilominus ſe ad artes, ſuis inventis ornandas, natum eſſe quisque putat, & mercem quam ingenii luxu lucratus eſt, magna animi importunitate cæteris obtrudit. Non alienum ab hoc inveterato hominum more diſſidentiam præſentem corporis humani definitionum exiſtimo. Verum ne quid ego ſentiam ſtatim in fronte conſpiciatur, ab inquiſitione harum ſententiarum potius exordiar, & quidem primo loco ad examen mihi revocanda erit Organicorum de corpore humano conſarcinata definitio.

§. XXI. Corpus humanum ajunt, eſt: *inſtrumentum animæ*. Effectus de quorum ratione non ſatis & abunde conſtat, ſemper de efficiente cauſa ſollicitos nos reddit; prodierunt in corpore humano varii & admirabiles motus, & ſi vero hi a ſe invicem diſtingvi ſoleant; §. 2. Orga-

Organici tamen qui res Metaphyſicas Phyſicis commiſceri vehementer intercedunt, non amant illam diſtinctionem, ſed omnes illas motuum diverſitates nihilominus generice unicum tantum motum eſſe contendunt *STAHL Theor. med. p. 43.* motum vero omnem eſſe rem incorpoream, nec in abſtracto in rebus Phyſicis conſiderari poſſe ſed ſemper in concreto agente perhibent. *Idem p. ead.* Cum vero omnis materiæ motus exiſtentiæ ſuæ debeat habere ſuffiicientem rationem, & ab illa ipſa produci omnino nequeat, corporis animalis quoque motus perennis, cauſam habeat impellentem neceſſe eſt. Hujus principium quærunt in anima rationali, quæ corpori proxima eſt, & incomprehenſibili nexu a ſapientiſſimo creatore cum eo juncta. Itaque cum corpus in perpetuo motu conſtitutum, anima vero ejusdem conſcia ſit, hos motus omnes ab anima dependere, ejusque nutu, volitione, imo ipſo denique impulſu & vi agente perfici ſtatuunt.

§. XXII. Non deſunt ipſis hujus rei ulteriora argumenta & illuſtrationes, imo in ipſa ſacra ſcriptura ſententiæ ſuæ præſidium quærunt & inveniſſe putant, ubi Deus primo creavit corpus, popam elegantiſſimam, nullo tamen motu affectam, usque dum ipſi ſpiraculum vitæ animam rationalem indiderit. Hæc anima ceu auriga frenum corporis tendit quo vult, quicquid appetit anima, ad id manus extendit corpus, quicquid averſatur, id iisdem declinat, pedes procedunt, & retrogrediuntur, ut omnia uno verbo dicam, motus omnes ad rationalis animæ deſideria harmonice conſpirant. Egregie ſententiam ſuam adminiculantur argumentis ex ipſa experientia depromtis, ubi inſolito quidem, interim tamen non ita raro accidit, ut fœtus ute-

ri, ab impressione mentis maternæ monstrosam nanciscatur formam. Deinde negari nonpotest a nimio mentis affectu & intensiore repræsentatione ipso momento physico corpus alterari, & motus naturales interrumpi; provocant porro ad illum, qui ostendere possit, qua ratione corpus ita mirabiliter moveatur, ut e.g. pedes in saltando ad numerum musices nulla interveniente causa rationali exactissime dirigantur.

§. XXIII. Partes hujus instrumenti vocant partes organicas, easque ulterius describunt quod sint solidæ & fluidæ, quarum considerationem partim commendant partim contemnunt §. 13.

§. XXIV. Quam sibi de corpore humano ideam fingunt stysthematis Mechanici laudatores, toto cœlo ab illaOrganicorum differentem deprehendo. *Corpus humanum* inquiunt: *constat ex partibus organicis compositis in quarum structura continetur essentia corporis & ratio sufficiens omnium ejus actionum.* His verbis tota res complectitur, nihil enim generaliter de machina prædicari potest, quod non hic totidem verbis indicetur, itaque volunt *Corpus humanum esse machinam.* Equidem famosissimæ illi doctrinæ de mechanismo universi, nullus hic concedi solet locus at tamen binis saltem verbis ad hoc momentum recurrere fas esto.

§. XXV. Qui corporum naturas percontati sunt, observarunt in iisdem esse motum, itaquidem, ut unum corpus ab altero suum motum nanciscatur, & hac ratione ea quæ circa se posita erant, considerarunt omnia, ultra vero non poterant ascendere; etsi enim innumerabiles & prægrandes, in aere natantes globos, in motu suo periodico & analogico contemplarentur, tamen nec oculorum nec ingenii acumine ad illam primam

cau-

causam, impellentem omnes illos globulos pertingere ullo modo possibile erat. Sed animadvertebant porro, motus in tempore existentes sequi alios motus a præcedentibus productos, itaque hanc ingressi sunt viam, ut præsentis motus rationem in præterito quæsiverint, & sic denique ad primum qui extitit motum progressi fuerint; Verum hic iterum steterunt, quæstio ipsis decidenda erat, utrum creator universi, in compositionis artificio rem ita constituerit, ut exinde motus sequantur absolute tales, quorum sufficiens ratio, in essentia compositionis contineatur, utrum vero ipse Deus materiam, quæ per se motus expers est, immediate moverit, illumque motum continuet. Quicquid etiam diversum statuatur, nihil vero virtuti creatoris ullo modo decedere posse existimo, interim maxima Philosophorum pars priori sententiæ favorem suum declaravit, siquidem nec animam mundi, nec principium bonum & malum rectrices universi (quibus terminis veteres posteriorem sententiam incrustabant) absque ulla absurditatis, & atheismi insimulatione admittere poterant, cum præterea & non ignobilioribus argumentis suam statuminaverint.

§. XXVI. Ex hac doctrina etiam Mechanismus corporis humani originem traxit, homo enim ceu pars universi obviam veniebat, & quod de *universo* prædicabant, id *particulæ ejusdem* convenire rebantur, præsertim enim, cum non solum humanum corpus de motu illo universi participet, & gravitatem aeris, ejusque elasticitatem in perspiratione, admodum sensibiliter persentiscat, etiam iisdem qua reliqua universi corpora sese movendi virtutibus omnino præditum sit, nimirum quod gravitate sua ad centrum moveatur, & elasticam vim tonicis motibus abun-

abunde prodat, utiqve censendum esse puto: corpus humanum quatenus est pars universi per se esse machinam, aut si mavis magnæ illius machinæ partem qvandam, & motuum eius *a rei perito* ex structura & compositionis artificio sufficientem dari posse rationem. Si vero illud ARCHIMEDIS postulatum: *date mihi locum extra terram*, ita concederetur, ut corpus humanum extra universi orbitas mihi quisquam deportaret, illud nec mechanicos nec organicos, nec quoscunqve demum tibi finxeris motus peragere posse existimo.

§. XXVII. At vero alia est huius mechanismi medicorum conditio, non in nexu *universi* qværunt principium motus, in ipso corpore id inveniri persvadent, & si enim per hiatus narium & oris, imo etiam (uti nonnulli existimant) per omnes poros in transpiratione, aer, jam aliunde in motu constitutus corpus subingrediatur, & organa præsertim magnum illud aeris receptaculum pulmonem moveat, & si inquam illud sit, requirunt tamen priorem motum quo existente & prætergresso coexistat & deinceps succedat aer ad motum conferens, siquidem hoc principium equidem ad explicandos motus vitales, non vero naturales & præsertim animales sufficeret, itaque regulis pure mechanicis omnia capita Physiologiæ pertractant, quæ si declararem limites dissertationis excederem, infra vero sub *Membr. VIII.* ubi id momentum iterum recurret, prolixior ero.

§. XXVIII. Mechanici ad firmandum dogma suum Organicis obiiciunt primo loco crassam nimis de anima ideam, cuius descriptionem dedit antesignanus eorundem ARISTOTELES lib. 50. de anima ψυχή ἐςιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος φυσικȣ̃, ζωὴν ἔχοντος δυνάμει, τοιȣ̃τον δε ὁ ἂν ᾖ ὀργανικόν. i. e. *Anima est entelecheia prima corporis*

Phy-

physici, habens vitam potentia illius quidem (ſc. corporis) *quod organicum eſt.* Quicquid etiam pro Organicorum materialiſmo excuſationis adferre conatus ſum, nihil ipſis profuit, quamquam etiam ARISTOTELES negaverit ſpiritum ex materia eſſe, nihilominus tamen, hac ipſa definitione aliam plane ſententiam fovet. Entelecheia (ſive ſit perfectio ſecundum nonnullos, aut actus) prima corporis phyſici, pari ratione ac ipſum corpus debet eſſe phyſica, *cauſa enim nihil largitur effectui quod non habet.* Indicat ulterius, quod anima corporis organici vitam in ſe habeat potentia: in corpore organico deprehenditur vita *actu*, *potentiam* hujus vitæ in anima collocat. Quamquam mihi de obſcuriſſimo hoc ratiocinandi more non conſtet, id tamen coniicio, vitæ qvæ motu abſolvitur principium, animæ ita ineſſe, ut vitales motus in corpore actu producat, ex quo omnino talem ducere mihi fas erit conſeqventiam: Quæ in uno tertio conveniunt, ſunt eadem, jam vero corpus & anima ita conveniunt, ut uterqve ſit phyſicum & corporales motus producat, itaqve eiusdem indolis eſſe ambo legitime ſeqveretur. Verum ubi ego recentiores Organicos legi, tantum abeſt, eos pro materialiſmo valde intercedere, ut potius ipſe celeberrimus STAHLIUS *in Theor. Med. p. 34.* expreſſis his verbis: *anima eſt ens materia paſſivum* hoc placitum adſtruere videatur. Sed cum hæc hujus loci non ſint, redimus potius ad ea qvæ huc maxime faciunt.

§. XXIX. Secundo itaque Organicorum ipſa corporis idea primo intuitu offendere poſſet quosdam, qui organa nimis ſimplicia communiter, ut e. g. veru, malleum &c. cum apparatu partium multiplicis generis & uſus in corpore humano comparant, qualis dicent illi

ſimilitudo intercedit tam artificioſo, tam admirabili & polito operi cum ſimpliciſſima, abjecta & illimata re, ut organum eſt? verum ne quis adeo pertinaces eſſe Organicos autumet, qui omnem mechaniſmum corporis humani tollant, tantum abeſt, ut potius illum argumentis validis adminiculentur, id tantum ajunt: mechaniſmum corporis cum organiſmo prudenter eſſe conjungendum; nec ideo ipſis Mechanicis de laude ſtudiorum unquam quidquam detrectant, vid. Celeberrimum ANDREAM OTTOMARUM GOELICKE præceptorem meum ſemper venerandum, qui a longo jam tempore Academiam noſtram inſtitutionibus & orbem literarium ſcriptis exornavit, in *Inſt. Med. ſecundum principia Mechanico Org. reform. part. I. C. 4.* §. *10.* & in *Hiſtor. literariæ Med.* §. *258.* ubi egregio Lugdunenſium Medico BOERHAAVIO inſigne teſtimonium perhibet. Qua propter levis eorum error (ſi quis eſt talis) virum bonum ita exacerbare nunquam poterit, ut merita inclytiſſimorum virorum propterea livore ſuo conſpurcare velit. Qui vero ſuo ſenſu ita abundant, periculum faciant difficultates eminentiſſimas ſolide excutiendi.

§. XXX. Cæterum Mechanici ad argumentationes adverſarum partium reſpondere non intermittunt, quid enim de creatione prima adfertur, illud huc neutiquam pertinere arbitrantur, ſiquidem ſtatui primi hominis, præſentem mortalium conditionem adſimilari incongruus omnino labor ſit, cum præterea hanc quæſtionem theologorum litibus adhuc ſubeſſe conſtet. Quod vero attinet fœtus uterini formationem ab impreſſione matris, cum hic caſus quam maxime extraordinarius ſit, nec ſemper infantes ad phantaſiam matris naſci experientia plus quam uno doceat exemplo, hos effectus allegatæ

caufæ

causæ adæquari posse non semper consultum putant, ac denique articulorum secundum musices numeros motum, cum cæteris corporis motibus mechanice explicare non verentur.

§. XXXI. Cæteroquin cum ab utraque parte plura ignorentur, satius erit hæc occulta naturæ ignorare, quam ea quæ certa esse experti sumus negligere velle.

THESIS TERTIA SYSTHEMATIS

Organicorum.	Mechanicorum.
Vita corporis est conservatio partium solidarum & fluidarum ab omni corruptione, cui materiæ respectu valde obnoxia est.	Vita corporis est continuatio sive perduratio actionum principum vitalium naturalium & animalium, quarum integritas corpus alias ad corruptionem pronum ab interitu suo vindicat.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

§. XXXII. Gloriantur sæpe Medici, sua arte effectum esse, ut cæterorum vita ipsis mortis faucibus erepta, atqve imo ex inferorum claustris iterum deportata sit, se propterea esse vitæ custodes & conservatores; verum quam sibi fidem sermonibus præstruxerunt facile dilabi posset, si vulgo innotesceret, eos propter distinctam vitæ ideam adhuc controversari. Nihilo minus quod miror ita est. Utriusqve igitur sententiam breviter exponere juvabit, ut adpareat quale judicium ab æqvis rerum æstimatoribus ferendum sit.

§. XXXIII. Vitam humanam definiunt Organici, quod sit *conservatio partium solidarum & fluidarum ab omni corruptione* &c. Solent præterea vitæ instrumentalem &

formalem rationem ab se invicem contradistingvere, ita ut *formalis ratio* hac ipsa quam suppeditavi definitione comprehendatur. *Instrumentalem* vero vitæ *rationem* eam constituunt, quod sit, *actus mechanico-organicus, in quo sub perenni circulatorio sangvinis motu, se & excretiones corporis rite peragantur atq; etiam solidæ partes, in textura sua conserventur.*

§. XXXIV. Quod ad illam distinctionem inter formalem & instrumentalem vitæ rationem attinet, satis bene sese habet, & in regulis logices est fundatissima; nam philosophi subjectum definiendum vel considerant, secundum qualitates in quibus deprehenditur, cum sensus vel internos vel externos ingreditur; tum itaqve dicunt *quid res sit* quod hoc loco cum *ratione formali* idem valet. Aut vero attendunt ad causas subjecti & modum qvomodo ex hac causa talis producatur effectus, atque sic docent, *qui res fiat*, quod iterum perinde ac *instrumentalis ratio* est.

§. XXXV. Sed propius circumspiciendæ sunt hæ definitiones. Prima *formalis* vitam corporis constituit in conservatione partium solidarum & fluidarum: Quicquid in aliqua re mutationem subire solet nec semper ipsi inest, id ejus rei status nuncupatur, jam vero corpus humanum non perenniter vita sua gaudet, tandem enim cum morte commutari debet, itaque vita corporis est ejusdem status. Sed cum corpus adhuc varios subire soleat status, quorum tamen præcipui sunt *sanitas* & *morbus* cavendum est, ne hi status in definiendo *quid sit* res, ita cum se invicem confundantur, ut unum pro alio accipiamus, propterea attendendum erit, ad illa phænomena, quæ in uno alterove statu tantum conspiciuntur, iisdemque vere propria sunt, in reliquis vero statibus minime invenienda sunt, tunc demum, possumus exacte dicere *quid res sit* & *quæ sit rei forma* dum illam sentimus.

§. XXXVI.

§. XXXVI. Quod vero hujus definitionis autores & defensores omnino neglexerunt, id libere profiteri cogor, nec argumentum mihi deerit, quo dictis fidem conciliare possem: Qui mediocriter Pathologiæ scientia imbuti sunt, omnes norunt, in morbis quibusdam aut fere omnibus, partes vel solidas vel fluidas vel etiam utrasqve simul esse corruptas, v. g. in scorbuto, lue venerea, contusionibus, &c. itaque ut ipsis definitionis verbis utar, nec solidæ nec fluidæ partes corporis, ab omni corruptione sunt conservatæ, tamen unquam nemo fuit, qui ejusmodi corporibus vitam denegaverit. Patet exinde Organicorum de vitæ corporis formali ratione definitionem talia complecti, quæ corpori quibusdam suis partibus jam corruptis merito vindicantur. Cum præterea hæc definitio, latior sit suo definito, siquidem in ipso mortis momento nec solidæ nec fluidæ corporis partes jam jam adesæ, atqve *quod accedit*, hæ partes in spiritu vini conditæ per longum tempus ab hac corruptione liberæ esse possunt. Adeoque quam parum definitio vitæ per partium a putredine conservationem quadret hæc anatomicorum præparata sufficienter docent.

§. XXXVII. Quæ cum ita sint oppido erit manifestum, non vitam, sed potius sanitatem, in hac conservatione mixtionis animalis a corruptione consistere, Organici vero qui hoc penitius introspexerunt, fatentur, *sanitatem & vitam pari passu ambulare* celeber GOELICKE *Inst. reform. p. 134.*

§. XXXVIII. Addunt porro hanc mixtionem solidorum & fluidorum natura sua ad corruptionem valde pronam esse; quod cum satis superqve constet, hic operosius non disquiro.

§. XXXIX. Ad illam nunc de *instrumentali vitæ ratione*

uti vocant me confero definitionem, quamqve superius recensui, sed cum iisdem plane nævis laboret; siquidem formalis vitæ ratio in ejus fine adjecta est, nec ipsam meo calculo probare possum. Quæ vero antecedenter de causa vitam corporis efficiente prædicantur, ea ulteriore adhuc inqvisitione opus habent. Dicunt primo esse actum mechanico-organicum, atque hac loqvendi formula ad illum quæstionis statum recurrunt cuius §. 21. 22.28 . 29. 30. longiorem feci mentionem, ideoqve hanc controversiam hic loci attingendo supersedere facili negotio possum. Deinde quod reliquum est in hac definitione, omni modo mihi laudandum esto atqve comprobandum, vitæ enim causam ita patefacit, ut nihil fere possit dici melius aut accuratum magis, nimirum circulatio sangvinis, ingestorum se & excretiones, tam arctissimo cum ipsa vita consociata sunt vinculo, ut si vel postremum eorum abesset, vita deniqve ipsa brevi temporis spatio collaberetur.

§. XL. Nunc vero mihi ad censum vocanda erit Mechanicorum de eodem themate structa definitio; *Vita corporis* ajunt: *est continuatio, sive perduratio actionum principum vitalium naturalium & animalium &c.* Si hanc definitionem ad illam distinctionem inter vitæ rationem formalem,& instrumentalem emetior, utique deprehendo eam nobis describere *formam* vitæ corporis. Dicunt itaque eminentiora illa phænomena quæ in corpore vivo semper deprehenduntur, nec unquam sine rei interitu abesse possunt, nimirum actiones vitales naturales & animales. Quæ differentes actiones, ubi sigillatim fuerint explicatæ in respectu ad genus suum nihil aliud sunt quam unus & perennis motus corporis, diversimode tamen directus & adplicatus, ideoqve Mechanici quic-

quid

quid etiam alius quisquam oggranniat, confirmant: vitam corporis consistere in motu ejusdem.

§. XLI. Nec mihi uti organicis absona & explosa videtur hæc sententia, siquidem in corpore vivo nihil plane aliud præter has modo recensitas motuum species experimur, simulac vero denique hi motus erunt extincti, omnis docta & indocta plebs vitam ex corpore decesisse unanimiter dictitat.

§. XLII. Nihil huic sententiæ derogare possunt observationes illæ quæ in homine vehementi e. g. lipothymia, syncope, catalepsi &c. laborante conspiciuntur, qui immotus plane idolo simillimus sedet vel jacet. Ita enim vulgo videtur, eruditis vero constat ejusmodi corpus tali morbo adfectum nihilominus pusillo saltem motu agitari. Proinde qui formalem vitæ rationem definiunt merito eandem in motu perenni constituerunt.

§. XLIII. Verum Mechanici ideam de *instrumentali* vitæ corporis *ratione* illi organicorum opponunt, sic definientes: *Vita corporis est motus progressivus in circulum agiens sangvinis, atqve humorum, ab impulsu cordis & arteriarum, nec non ab elatere fibrarum proficiscens, secretionibus & excretionibus totum corpus conservans ejusqve functiones gubernans.* vid. HOFFMANNUS in *Med. rational. systh. C. II. p. 64.* Videntur equidem his terminis cum organicorum sententia conspirare, verum non debemus pati nos decipi externo vocis sono, re ipsa enim Mechanici hic potissimum ad dimensam corporis partium structuram, & proportionatam virium qualitatem, quarum maxime opera corpus moveatur, attendi volunt, Organici vero uti supra §. 21. indicavi, ad impulsum animæ rationalis unice attendendum esse contendunt, de quo suo loco jam dixi & adhuc ultra dicam.

§. XLIV.

§. XLIV. Prætermitto illud momentum sacræ scripturæ, ad quod ut lites suas dirimant utriusqve systhematis sectatores concurrunt, nimirum: *Levit XVII. v. 14. Vita corporis est in sangvine.* Ego enim cum ipsi de verborum significatu disceptent, philologis hanc litem committo.

§. XLV. Cum vero in hac tota quæstione Mechanicorum partibus meum omnino adfectum declarare cogar, merito a judicando abstinere possum, æquissimo cujusvis sensui omne hoc negotium relinquens.

THESIS QVARTA SYSTHEMATIS

Organicorum.	Mechanicorum.
Conservatio a corruptione fit absolute motu, qui revera est res incorporea, corpori adjuncta, generice ejusdem indolis qualis anima ipsa.	Vitæ conservatio consistit in perenni motu, cujus ratio efficiens sufficiens non in principio aliquo incorporeo, sed in potentia agendi, ex structura & nexu corporis resultante, fundata est.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

§. XLVI. Brevis vita hominum variis & sempiternis motibus jactatur & absolvitur, in dies, horas & singula momenta, motus a se invicem diversissimos, omnes experimur, principium vero hujus motus nemo fuit qui solide demonstraverit.

§. XLVII. Præsens Epicrisium mearum thema in indagando hoc capite versatur, controversantes vero partes ita sibi contradicunt: *Motus revera est res incorporea*, & rursus *motus ratio sufficiens non in principio quodam incorporeo fundata est.* Incidi aliquando in librum

ICti

JCti cujusdam, ubi deprehendebam familiarissimam ipsis esse distinctionem inter res corporales & incorporales, ubi per illas quæ tangi, per has, quæ non tangi possunt intelligere solent. Verum & si forte hæc distinctio ipsorum usibus inservire possit uti omnino existimo, ego tamen si illam hic loci adhiberem, ab hariolando procul non essem. Alio prorsus pede hos campos exspatiabor. Cum de eodem motu agatur, quem Organici dicunt non esse in abstracto considerandum, sed semper in concreto agente; nec adversa pars huic thesi quidquam reponat, ego id pro concesso atque probato sumam. Ajunt porro illi: motum hunc proficisci a vi quadam *substantiæ* rationalis, hi vero: a structara & qualitate corporis. Itaque apprime esse censeo, si illam distinctionem hoc modo constituam: *Res corporea* est: *quæ a corpore; res incorporea: quæ a non corpore peragitur,* atque hac ratione totum controversiæ momentum dispalescit, & ad disquirendas has sententias viam stratam esse cognosco.

§. XLVIII. Dum Organici motum hunc esse rem incorpoream prædicant, hæc duo potissimum innuunt, primo: eundem motum suscipi ab anima & secundo: animam non esse corpus. Posterius ambabus manibus si modo ipsi velint, lubentissime largior. Prius ea qua fieri poterit accuratione examinabo.

§. XLIX. Ex physicis rationibus citra omnem dubitationem constat causam moventem dum movet, ipsam prius & simul moveri. Nam ut moveat debet materiæ propius accedere, & illam tangere, materia autem sua natura habet vim resistendi, quam vim inertiæ vocat Anglorum PHILOSOPUS NEWTON, qua propter causam moventem vicissim tangit, eandemqve vel plane repellit, vel etiam vim ejus impellentem quo-

dam modo infringit e. g. quando pueri globulis marmoreis ludunt, pavimentum invalidis jactibus fortiter resistit, & globulos repellit, si autem fortuna accidit ut alius quidam globulus huic emisso cursum impediret, ambo ulterius procedunt, ita tamen, ut alter tantum de suo motu amittat, quantum alteri tribuit. Porro non minus rationibus quam experimentis constat, qvod si materia, aliunde jam motu adfecta ali causæ moventi, eadem dimensa vi, & æqvali impetu obviam ire supponatur, momento citius omnem motum destrui, & ambo in eodem spatio manere, nec ulterius in motu suo progredi; cuius veritatis in Technophylacio naturæ & artis Berolinensi egregium monumentum adservatur ubi duo globi ostenduntur, qvorum, cum Parthenopolis erat obsessa, alter ex castris hostilibus, alter ex urbe emissus, ita sibi invicem in eadem linea occurrerunt, ut cohærentes delapsi sint.

§. L. Hæc applicatione digna erunt. Primo itaqve anima antequam organum suum moveat, debet moveri prius, unde vero ipsa movetur? respondent quidem Organici, sed indirecte, vi movendi a natura sua instructam esse, principium, vero ejus motus an sit organicum vel mechanicum ignorant, nihilominus tam alte sibi sapere videntur ut motum quisquis ille sit animæ adstruant. Verum in integra nobis cognita natura, nihil unquam deprehendimus quod a seipso moveatur, ignis subtilissima materia in perpetuo motu concipitur, scimus tamen illum motum, ab aeris tactu oriri. Quod si etiam plenum monadibus orbem fingeremus, nulla tamen unquam probabilis ratio erit, hæc corpuscula, sine causa impellente turbari posse. Quam igitur animis innatam vim esse Organici sibi persvadeant, ego vero non asseqvor.

§. LI.

§. LI. Deinde anima non ſolum ipſo momento phyſico in quo movet ſimul pariter movetur, verum etiam, reciprocos motus patiatur neceſſe eſt. Corporis enim ſolidæ & fluidæ partes, & mechanico quodam motu gaudent & ab extra motibus variis imo ſæpe violentis afficiuntur. Quænam igitur ratio eſſet quod in tanto hominum numero, tot tantisqve reciprocis motibus exagitato, non aliquando contigerit, ut duo motus æqvales in ſe invicem irruiſſent, atqve exinde cum alter alteri non conceſſiſſet, ambo ulteriorem motum amiſiſſent.

§. LII. Non poterit huius ſyſthematis defenſoribus moleſtum eſſe, ſi eorum doctrinam de motu phyſicis rationibus & experimentis illuſtro, ſunt enim hæ res revera phyſicæ naturæ, atqve id eos ipſos velle luculenter apparet, dum integrum eorum ſysthema nomen inde ſortitur SYSTHEMA INFLUXUS PHYSICI.

§. LIII. Unum quod addam, non poſſum intermittere, nimirum: Organici huius motus exiſtentiam rationibus tantum adſtruere conantur. CICERO autem qui in hoc paſſu, eorum partibus favet, ad univerſi conſcientias & ſenſus provocare non veretur, ita enim inquit: *ſentit igitur animus ſe moveri: quod cum ſentit, illud una ſentit, ſe vi ſua, non aliena moveri Tuſc. Quæſt. Lib. I. Cap. 23.* Ego certe & ſi omnes externos & internos ſenſus acuam, cum omnibus tamen qui alias ſentiunt nihil ſentio, fortaſſis vero mechanicorum motuum ſtrepitus, ſenſum mihi occluſerunt aut hebetem effecerunt.

§. LIV. Ut vero rem iterum exordiar, ubi relicta eſt bene quidem ſeſe habet: motus (ſi qui dentur) a non corpore profectos, eſſe incorporeos, ſin autem e contrario tales a corpore in non corpus transferantur, utiqve eosdem corporeos eſſe nemo erit qui neget.

§. LV. Solent Organicis adhuc illud objicere: nimirum obſervari etiam in corpore ab anima relicto, ejusmodi motum vitalem, e. g. ſi caput alicui fuerit amputatum non ſolum caput ipſum ſed etiam truncus cum viſceribus & extremitatibus per aliquot momenta motus ſuos proſequuntur, conſequenter Organicis imputant ac ſi animam rationalem gladio ita diviſam eſſe, ut pars quædam capiti altera trunco aſſignata ſit, cenſerent. Non ignotum eſſe poteſt Organicos, eos excipio qui animam dividi poſſe non plane rejiciunt, hos motus, *ultimas animæ impreſſiones* vocare, quo innuunt animam partes corporis tam vehementer impetere, ut hic motus deceſſa anima adhuc quædam momenta perdurare poſſit: at ſi omnem phyſicam rationem & experientiam conſulimus, patebit tamen: poſſe equidem motum in cauſa movente longe ultra procedere, ſi modo hic motus ſit continuus: verum in ſyſtole & diaſtole cordis, & in pulſu arteriarum tantum abeſt motum continuum obſervari, ut potius quilibet in contractione & dilatatione cordis, novum & plane alium impulſum non ſolum in ſeipſo, ſed & in aliis experiatur.

§. LVI. Addunt Organici hunc motum *generice ejusdem indolis, & univerſæ habitudinis eſſe, qualis anima ipſa.* STAHL. *Theor. Med. p. 569.* Non explicavit excell. autor, quid ſibi hac formula loquendi velit, quapropter id ut intelligatur, ad ideam quandam omnino reduci debet: duæ res generice ejusdem indolis eſſe dicuntur, quæ ſunt ſpecies, & idem genus proximum ambo conſtituunt, e. g. corpora hominum & brutorum ſunt ſpecies & idem genus proximum ſc. corpus conſtituunt, quapropter dicere poſſumus, ea generice ejusdem indolis eſſe. Spero me in hac explicatione omnes qui ratio-

ratiocinari possunt, habere consentientes. Proinde anima rationalis & motus corporis ad unum genus conferendi sunto, anima vero est vel substantia, vel ens, perinde erit, motus vero qui est res abstracta, nec nisi in concreto cognosci potest, substantiæ vel entis speciem constituere debet. Qui potest capere capiat, ego vero non capio.

§. LVII. Jure itaque Mechanici ab Organicis eorundemque familia discedunt, motusque corporis non in incorporeo quodam principio, verum in potentia agendi, ex structura & nexu corporis resultante, fundatos esse perhibent. Quod vero edictum, cum momentariam diversitatis quæstionem respiciat, binis saltem verbis hic declarari debet.

§. LVIII. Celeb. HOFFMANNUS principium hujus motus in corde, ejusque systole & diastole invenisse nobis persuadet: in *Med. Systb. Tom. I. part. 1. c. II.* §. *4.* quem motum etiam causam circuli sangvinis pronunciat §. *6.* & *8.* ita tamen ut arteriarum contractionem & dilatationem in subsidium tanto opere perficiendo advocet §. *9.* & *10.* ea quidem ratione, ut si primo systole cordis arteriarum diastolen produxerit, tum demum hæc arteriarum diastole, rursus earundem systolen efficiat, & sic iterum per eandem cordis diastole gigneretur, qui motus tali modo deinceps continuo succedat. §. *11.* Huius vero systoles & diastoles causam statuit: fluida, & ipsum sangvinem in vasis & nervis contenta *Cap. III.* §. *6.* qui sangvis, calida ætheris materia subtilior factus, elasticitate sua, systoles & diastoles, atqve fluidorum motus causa existat. §. *15.* Hæc principia suo calculo comprobat excell. vir HERMANNUS BOERHAAVE, qui has actiones vitales juxta leges hydrostaticas hydraulicas

& mechanicas fieri, & secundum eas ultimo exponi debere asserit in *Inst. Med.* §. 41. Et cum dicta experimentis satis constent, moderatissimus autor ultra progredi renuit, ex ea addita ratione: *quoniam, ubi problema medicum eo usqve solutum esset, ut restet modo explicandum, quomodo fiat hæc relatio, satisfactum erit qvæsito, quoniam ulterior inquisitio impossibilis, & illa solutio medico sufficiet.* §. 27. *I. n.*

§. LIX. Interim Mechanici id sibi probare sumunt, ut motuum in corpore humano existentium rationem sufficientem ex structura solidorum & dispositione fluidorum eorundemqve actione reciproca dari posse affirment. In quo probando tanquam cognitum supponunt: nihil in motu nisi directionem & celeritatem spectari: his vero positis nondum sequi, cur actio in corpore præcise sic & non aliter contingat; quare rationem sufficientem actionis non ex solo motu, sed ex structura & essentia corporis dari contendunt, præsertim cum actiones, quando corpora agunt tales sint quæ corpori conveniunt & eiusdem essentiæ non repugnant. Nisi enim corpus per essentiam ad tales actiones dispositum esset, i. e. nisi potentia agendi polleat, vi motrice licet superaddita nunquam tales ederet motus. Eadem est ratio actionum corporis humani, quæ pro diversitate organorum variant. Actiones quæ ex organis respirationis dependent, variis pectoris & horum organorum motibus perficiuntur: cur ergo pectus hoc modo & non aliter moveatur, per Anatomen ex structura pulmonum, ossium thoracis, & musculorum pectoris in apricum venit. Actiones itaqve quæ in respiratione observantur, per conditiones harum partium innotescunt.

§. LX. Cæterum ex præmissa tractatione patet, quid

vaga

vaga hominum ratio conquirat, ad difficultates quibus ſemel concepta opinio premitur declinandas, qvantæqve remotis, preſſo pede graviores & coacervatæ ſuccedant.

THESIS QVINTA SYSTHEMATIS

Organicorum.	Mechanicorum.
Anima generaliſſime eſt aliquid agens, generaliter aliquid movens, ſpecialiſſime aliquid intelligens.	Anima definitur: Eſt ens illud quod in nobis ſibi ſui & aliarum rerum extra nos conſcium eſt.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

§. LXI. Eorum qui corpora ſenſibus obnoxia, propius cognoſcere voluerunt labor, ſæpe irritus fuit difficultatibusque maximis implicatus. Verum hic omnis quantusquisque ſit, nec minima ratione conferendus eſt, indefeſſo, continuo, & perdiligenti ſtudio, quod ſpirituum ſenſus omnes ſubterfugientium cognoſcendorum cauſa impenderunt viri, quorum extant merita nullis numeris ſuperanda. Non fuit unquam eruditionis aliqua ſpecies ad quam ſcientia de ſpiritibus non fuerit adſtricta. Philoſophia reliquæ eruditionis fundamentum, & primum neceſſarium, maximam amplitudinis ſuæ partem in cognitione ſpirituum habet. In Theologiæ ſtudio, ſpiritus non unius generis conſiderantur. JCti leges ſuas non ſtipitibus & truncis dari optime norunt, quapropter nobiliorem hominis partem, cum ratione legis comparant. Quis itaque de median circa cognitionem mentis laboribus male ſentiret, cum, præterea quod ipſi eruditorum inſignem

par-

partem conſtituant, imprimis etiam Pſychologiam ad principia artis ſuæ referri cunctos credere jubeant.

§. LXII. Non diſquiram omne quod Medicis quibusdam de ſpiritibus in mentem venit unquam, arduus & ſine fructu eſſet hic labor, id agam potius, ut, in quibus noſtro ævo magni nominis medici de natura animæ humanæ diſſident in aprico conſtituantur. Duo ſelegi themata alterum Organicorum, alterum Mechanicorum, quæ de indole mentis aliquid proferunt, eaque ſibi invicem oppoſui. Ne vero B. L. putet, me exiſtimare ac ſi omnis natura animæ ab utraque parte his binis propoſitionibus terminari debeat, vehementer intercedo. Nihil enim proderunt mihi hæ definitiones, præterquam ut materiam ſubminiſtrent de integro argumento fuſius differendi, nec poteram huic ſcopo accommodatiores ullibi invenire.

§. LXIII. Prior quam Organicis tribuo eſt celeb. STAHLII in *Theor. Med. p 34.* Utitur laudatus autor hac deſcriptione ad demonſtrandam omnem animæ rationalis energiam in corpus ſuum, & quicquid vel generalioribus vel ſpecialiſſimis terminis de ea profert, illud tantum ad animam corpori organico junctam, non vero ad animam organo deſtitutam relatum eſt, quamquam vero autor jam in anteceſſum declaraverit, velle ſe *animam quantumcunqve in ſe & abſolute æſtimari poſſunt ejus actiones* conſiderare. Neqve id adeo taxarem, niſi ab omni dicendi more alienum eſſet, rem per ſe ſubſiſtentem, & quæ in ſe conſiderari poteſt, ſepoſito hoc reſpectu, in relatione cum alia declarare velle, præſertim cum in eo omnes qui philoſophati ſunt habeamus præceſſores, & ſeculi noſtri indoles quam maxime efflagitet, ut quæ de anima tractatio ſuſcipitur, ab ejus natura vel eſſentia exordiatur.

§. LXIV.

§. LXIV. Hanc igitur animæ naturam ita considerarunt Organici, ut semper in describendo corpus ipsi junctum, sibi ob oculos ponant, qui quidem processus cum eorum hypothesi de influxu, aut saltem nexu physico egregie conspirat, quam maxime tamen ab aliis Philosophiæ theorematibus deflectit, nihil enim magis doctrinam de immortalitate mentis labefactare poterit, quam ipsa hæc animæ in nexu physico cum corpore suo constitutæ consideratio, nam præter christianos philosophos, etiam pagani fere omnes animam post destructionem corporis sui in statu intelligentiæ, & reliquarum facultatum superstitem fore, tradiderunt: qualis itaque superesset tum animæ idea, si non detur alia quam quæ de mente & corpore simul & relative formatur. Libere itaque fateor non solum ob hanc, sed plures adhuc & prægnantiores causas eos mihi potius placere qui animam, ut ens in se considerant, & dum de anima aliquid scribunt, eam prius separatim contemplantur antequam ad ejusdem connexionem cum corpore attendant.

§. LXV. Alter respectus quem vir celeberrimus in definienda anima rationali observat. *Generum & specierum subalternationes* concernit, ita ut animæ facultatem intelligendi speciem vis movendi, vim autem movendi speciem vis agendi constituat.

§. LXVI. Quod anima sit ens intelligens, non erit facile quisquam qui inficiabitur, nam scimus omnes, imo quod addere possum, sentimus, ens illud quod in nobis intelligit esse a corpore diversum, & a seipso, vi sua non aliena intelligere.

§. LXVII. Ascendunt Organici ab intelligendo ad movens, non aliter ac si intellectum in motu constitue-

rent, ſic enim inquit STAHLIUS l. c. *Anima generaliter eſt ens movens, quia omnes ejus, etiam vere propriæ & ipſi omni modo ut in abſtracto competentes actiones, non ſolum eo ordine, quo in corpore & per corpus, ſed ut quolibet intuitu* (NB) IN SE & PER SE *conſideratæ ſunt, generice ſint* MOTUS, *nempe progreſſus de re ad rem, quo intuitu* ARISTOTELES *cogitationem, humanæ animæ deambulationem eſſe deſcripſit.* Duas itaque motus ſpecies autor conſtituit, quæ tamen generice ſunt motus unus, ſcilicet primo actiones animæ quæ in corpore & per corpus fiunt ſunt motus, de quo argumento ſuperius paſſim disſerui, ſecundo autem actiones animæ IN SE & PER SE conſideratæ ſunt motus, per has vero actiones autor τὸ cogitare intelligit, uti ex proxime ſequenti commate facile concluditur. Proinde cogitationes mentis ab Organicis concipiuntur ut motus animæ. Sed ut appareat quæ ſit hujus theorematis ratio ſufficiens, ſubjecta quoqve eſt expoſitioni huic, nimirum: *celeritas cogitationum* quod his verbis innuitur, *quoniam talis cogitatio animæ ſit progreſſus de re ad rem* & ARISTOTELES (per catachreſin) *cogitationem, animæ deambulationem* vocaverit.

§. LXVIII. Verum ſi rem accurate perpendimus, oppido erit manifeſtum, eſſe hanc cogitationum celeritatem, a celeritate qua corpora moventur diverſiſſimam, nec aliter quam vel maxime improprie celeritatem cogitationibus adſcribi: eſt enim etiam celerrimus corporum motus: progreſſus in linea per ſpatium quoddam; animam vero lineas per ſpatia ductas citisſimo curſu permeare & quæ in his ſpatiis ſubſiſtunt percipere, nemo unquam fuit qui dixerit, cum præterea leges motuum corporis, & eæ ſecundum quas cogitationes

tiones mentis producuntur plane aliæ ſint, nec ambo una eademqve ratione effici poterant; eſt nimirum per experientiam & rationem notiſſimum, corpus tamdiu in ſtatu quietis perdurare, uſqve dum ab externa quadam vi impulſum moveatur, ita vero anima IN SE & PER SE non patitur impulſum (per princ. rat. ſuff.) adeoqve nec IN SE nec PER SE movetur. Pluribus & ex profeſſo hæc argumenta tractavit celeberrimus WOLFIUS *in Pſychologia rationali* §.30.31.76.79. Præterea nullo modo concedere poſſum, bonum ARISTOTELEM cum Organicis ita colliſiſſe, ut tropico hoc termino *cogitationes ſunt animæ deambulationes*, ejusdem revera motum innuerit, potius autumo: ipſi aliquando dum diſcipulo ſuo Rhetorices præcepta traderet hanc metaphoram ita arriſiſſe, ut eandem pro arguta & ingenioſa dictione etiam Philoſophis aſſeclis commendaret.

§. LXIX. Quod deniqve attinet remotiſſimum huius deſcriptionis genus: *anima generaliſſime eſt ens activum* ſatis bene id comparatum eſt, ſiquidem omni ſubiecto tam phyſico quam metaphyſico vis & conatus & actio competit. Nihilo tamen ſecius duas ob rationes hæc generis remotiſſimi deſcriptio, ob ea quæ ſequuntur verba: *Nihil vero certius quam, materia pasſiuum, adeoqve ad τὸ activum relativa hac ſui indole deſtinatum* in cenſum veniet. Primo enim nihil certi definit autor, & admodum in ſententionando vacillare videtur, quicquid enim generaliſſime de anima edicit, *eſt ens activum* id ſpecialius limitat & circumſcribit, & inſuper aliquid addit: *eſt etiam ens pasſivum.* Secundo minime placet ea loqvendi formula *anima eſt ens materia pasſivum.* Organicos his terminis materialiſmum aperte fateri ſuperius (§. 31.) notavi. Quanquam ego mihi tanti eſſe

 non

non videar, ut de ſubſtantia animæ aliquid directi ſtatuminarem, nunquam tamen ad materialiſtas me conferre potui, obſtitit enim ſemper ſi animæ ſubſtantia ſit materialis, ſeqveretur: ipſam animam non eſſe ens diverſum a corpore, ſed cum corpore unum, & pars corporis, non aliter ac brachia aut pedes, corporis partes conſtituunt; quod legitime ſequi demonſtrabo. Duæ ſubſtantiæ materiales quæ inter ſe non diſtant ceu duæ partes unam conſtituunt rem, ea vero inter quæ immota nihil poteſt interponi a ſe invicem non diſtant, quæ itaqve in ſe invicem nullo alio interpoſito vires & conatum perpetuo exercitant, ea non diſtant, anima materialis nulla interpoſita re, (nec ſpiritibus animalibus, nec liquido nerveo, nec alio quoquam) in corpus ſuum exercitat vires motrices, & patitur easdem reciprocas, propterea non diſtat a corpore ſed cohæret, & cum eo ceu parte totum conſtituit Q. E. D. quodqve ſano & intaminato cujusvis præjudiciorum libero ſenſui repugnat.

§. LXX. Sequitur nunc altera & quidem Mechanicorum de anima definitio: *Anima eſt ens illud quod in nobis ſibi ſui, & aliarum rerum extra nos conſcium eſt.* Habet hanc definitionem Celeberr. WOLFIUS in Pſycholog. empir. §. 20. Quod in ſuperiore taxavi, ejus nihil in hac erit reprehendendum, ſiquidem hæc conſideratio tantum ad animam qua talem absque reſpectu ad corpus ſuum relata eſt, nullis verborum luſibus & metaphoris innititur, ac denique tantum abeſt a materialiſmo, ut potius omnem materialitatis conceptum plane excludat. Præterea nulla eſt vis animæ, nulla facultas, nullus denique actus, qui absque hac idea vel cognoſci vel explicari poſſit. Perceptio & apperceptio continuæ mentis noſtræ agitationes tam egregie & arcte

con

conjunguntur, ut nihil fere poſſit dici melius aut ornatius: diverſiſſimi animæ ſtatus ejusdemqve perpetuæ mutationes exinde intelligi & deduci optime poſſunt, & ut tandem omnium ſummam contraham, quicquid de mentibus ratio & revelatio dictitat, quicquid experimur ipſi quotidie, & ſentimus, ſine ullis verborum ambagibus, eleganter edicitur & cum edicto conſpirat.

§. LXXI. Cæterum quod Organici ſemper huic definitioni occinant, eam non directe dicere: *cujus ſubſtantiæ ſit anima?* ei jam dudum a viris peritis factum eſt ſatis, unum eſt quod addam ipſum celeb. STAHLIUM quem Organici omnes venerantur ad id parum attendiſſe, dum in eo ſæpius c. l. in deſcribenda animæ rationalis energia integram theſin ſuſpecta illa particula QVASI exordiatur.

§. LXXII. Atqve quod reſtat de tota hac controverſia ſentiendum: utique cenſeo: eam non ſolum in ſe eſſe arduam & jucundam, præterea quoqve multis ſcientiis & diſciplinis cum fructu applicari poſſe, medicum tamen forum nulla alia ratione ingredi, quam ut cognoſcant philiatri: animam eſſe ſubſtantiam longe aliam quam corpus, ideoque eos ultra corpus quod ægrotat in curandis morbis non progredi, ſed in his primis viis ſubſiſtere debere, atque in eos qui volunt eſſe medici ſpirituales hanc curam devolvant.

THESIS SEXTA SYSTHEMATIS

Organicorum.	Mechanicorum.
Anima eſt rectrix omnium actionum quæ in corpore fiunt, & quæ corpori uſui ſunt, prudentia ſua gubernat.	Cum anima ſit ens a corpore diverſiſſimum, adeoque vitam, actiones, & paſſiones diverſas a corpore obtineat, in homine, quicquid cogitationem involvit ſoli menti ut principio, quicquid extenſionem & motum ſoli corpori tribuendum erit.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

§. LXXIII. Sequitur nunc controverſia quæ hodie omnium fere oribus circumfertur, cujus nomen pueris familiare eſt, & ſenes pauci intelligunt, ob quam manſvetudinis viva exemplaria, in ſæviſſimos tyrannos degenerarunt, & viri præmiis reipublicæ ornandi indigno prorſus martyrio adfecti ſunt. Adverſæ partes raro argumentis pugnarunt, eorum volumina fere ſemper convitiis, exſibilationibus, calumniis, imo ipſo ſacro banno paſſim & ubique ita picta erant, ut ſi ex his quisquam decernere vellet, ei certe qui plebeja eloquentia altero plus valeret, lauream tribuere cogeretur. Non ego hic in Medicos ſolum defixi oculos, fuerunt enim hi inter cæteros fere moderatiſſimi, niſi quando quidem & raro motuum impetu tranſverſi adverſarios ſale ſuo bene defricaverint. Equidem hæc diſceptatio decies & centies recocta, quoties apponitur nauſeam mihi creat, propoſiti tamen ratio poſtulat eam hic iterum ſub incudem revocare & quam fieri poterit breviſſime explanare.

§. LXXIV.

§. LXXIV. Integrum argumentum ſuperius jam expoſui, §.21. & ſeqq. paſſim, nonnullas quoqve difficultates quibus hypotheſis premitur indicavi, eas vero quæ ſuperſunt nunc oſtendam, ita tamen ut earum quibus Theologi & Moraliſtæ offenduntur, quoniam forum noſtrum non tangunt, nullam faciam mentionem.

§. LXXV. De anima vero Organici hæc habent: *anima eſt rectrix omnium actionum quæ in corpore fiunt, & quæ corpori uſui ſunt prudentia ſua gubernat.* Certe prolixa verborum analyſi parum lucis argumento affunderem, propoſitio enim ſimpliciſſima eſt & clara. Interim tamen argumenta quibus hypotheſis innititur paulo accuratius erunt penſitanda.

§. LXXVI. Provocant organici ad omnem fere antiquitatis politiſſimam rationem, ad Philoſophos acerrimi judicii, & Medicos, quorum fama omnibus ſancta eſt & venerabilis. Equidem ipſis animus non eſt; horum autoritate dogma ſuum ſuffulcire, id tantis viris nemo niſi impudentiſſimus exprobrabit, fatendum tamen omnino erit: hoc ipſo ſi probare poſſint, doctrinam ſuam inſigniter adornatam iri.

§. LXXVII. Et ſi etiam probabile videatur: veterum Philoſophorum & Medicorum plus quam ſexcentos animam pro principio motuum corporis paſſim & quibusdam in locis agnoviſſe; duo tamen habeo, quibus confirmatis hoc ipſum multum de probabilitate ſua amittet. Primo enim ſatis notum eſt: quam obſcuris terminis veteres ideam ſuam de anima declaraverint, apud eos enim non ſolum occurrit celebratiſſima illa diſtinctio inter τὴν διάνοιαν & τὴν ψυχὴν, inter animum & animam, porro, inter animam vegetativam ſenſitivam & rationalem; inſuper quis eſt qui ignoret, quot

ſuper

ſupervacaneis & incomprehenſibilibus vere diſtinctionibus hoc dogma ſuum exornaverint, quotqve his multiplicibus animabus ſedes adſignaverint? ipſe PLATO quem CICERO adeo æſtimabat, ut qui ab eo diſcederent plebejos philoſophos vocaverit, *triplicem finxit animam: cujus principatum id eſt rationem in capite ſicut in arce poſuit, & duas partes ſeparare voluit iram & cupiditatem, quas locis diſcluſit, iram in pectore, cupiditatem ſubter præcordia locavit. Tuſcul. qvæſt. Lib. I. Cap. 10.* De eodem pariter refertur: ipſum, *moveri perpetuo animam, immotam autem mentem eſſe, motu certe tranſgreſſibili* ſtatuiſſe, apud PLUTARCHUM *de placit. philoſ. Lib. IV. Cap. 6.* Patet exinde quam ſubtilis etiam fuerit ille vir & ingenio & arte alios præcellens, nihilominus ipſum de diſtinctione ſua tum ſibi non conſtitiſſe, cum in libro cui inſcribit *Phædro: animum moveri* tradit. CICERO *l. c. Cap. 23.* Non dicam de HIPPOCRATE quem medicorum principem nominare adſolent, quiqve in lib. *de corde* ita tradit: *mens* (γνώμη) *humana in ſiniſtro ventriculo a natura inſita eſt, & reliquæ animæ imperat neqve vero nutritur cibis ac potibus, qui ex inferiore ventre prodeunt, verum ex pura & clara abundantia, ex ſangvinis ſecretione orta;* puto ſatius eſſe hoc ratiocinium tantum adduxiſſe quam multis obſervationibus illuſtrare. Cæteris autem Philoſophis ac Medicis non melior parata ſors fuit, hi enim vel prædeceſſorum traditiones incaute ſeqvebantur, vel novitatis pruritu incenſi longe impeditiora devia inceſſerunt.

§. LXXVIII. Addam nunc alterum quod huic autoritatis præjudicio reponi poſſit: Nimirum dari e contrario quædam in antiquitate veſtigia, non obſcure indicantia: ipſam mechaniſmi hypotheſin olim jam fuiſſe quadantenus cognitam, etſi enim Philoſophorum nemi-

nem

nem adducere possem, erit tamen mulier quædam virtutibus & ratione viris non inferior, & sexus sui præcipuis, amabili venustate præstantior LUCRETIA, quæ in sermone ad conjugem dicto, de amissa pudicitia conqueritur, atque hoc Tarquini impudico actu sibi maculam & vitium imprimi rebatur, inter alia inquit: *Cæterum corpus est tantum violatum, animus insons*, & paulo post: *mens peccat, non corpus, & unde consilium abfuit culpa abest.* LIVIUS *hist. lib. I. cap. 58.* Quod si itaque has loquendi formulas ad hypothesin organismi & influxus physici emetiri vellem, nulla foret ejusdem explicatio, etenim violatio corporis eique impressa macula, secundum Lucretiæ sententiam non transiit ad mentem eamque contaminavit; propterea ille tactus impudicus solummodo corporis machinam motu exagitavit. Et quid censendum est de summi PLATONIS *harmonia numerica* quam eruditorum fere nemo vult intelligere? quo referemus illam ARISTOXENI musici & Philosophi sententiam de intentione corporis ejusque motibus qui ex natura & figura cientur? ac denique, ubi eos principium motus invenisse existimamus, qui nec esse animam, nec animum, nec illam vim movendi corporibus æqvabiliter infusam, ab iisdem separari posse, tradiderunt? CICERO *Tuscul. Quæst. Cap. 10.* Certe hi omnes mechanismum corporis ita ostendunt ut etiam lippi eundem transpicere possint.

§. LXXIX. Provocant porro Organici ad indubitatam hypotheseos suæ testem, ad ipsam experientiam. Videntur sibi id percepisse & appercepisse animam movere corpus, e. g. si anima sonum alicuius nummi in terram proruentis sibi repræsentet, simulacve hunc nummum appetit, corpus suum inclinat ad tollendum

nummum &c. Verum an hæc ſit experientia, merito diffiteor, nihil enim amplius experimur quam quod corpus ad voluntatem animæ inclinetur; quis vero dixerit motus hujus rationem non eſſe in corpore fundatam, quantocyus enim paralyſis membro movendo ſupperveniat actum erit de imperio voluntatis. Interim modus ille quo talis inclinatio corporis producitur nobis ignotus eſt, quem ſi experiremur, tota lis compoſita eſſet.

§. LXXX. Solent reliqua Organicorum argumenta fere omnia eſſe a poſteriori, pauca aut nulla a priori. Conſiderant effectus corporis, ex quibus cauſam arguunt animam rationalem, absqve tamen eo ut ſatis cohærentem nexum conſtituant. In hoc itaqve ſemper deſidioſi inveniuntur ut a priori rem demonſtrent, ut probent ex natura animæ tanquam cauſæ certo conſtare, tales effectus eſſe non ſolum poſſibiles verum etiam actu exiſtentes. Quod vero in ea re Organicos a Mechanicorum hypotheſi diſcedere commovit, eſt eorum idea de anima rationali, quam ſuperius §. 28. recenſuimus, & ſecundum quam anima ſe ſe facile corpori ut homogeneæ ſubſtantiæ admiſcere queat, eaqve ratione motus reciprocos producere; ſed ſimulac illud dogma erit deſtructum, videbis etiam totum influxus phyſici ſyſtema contabeſcere. Satis vero probarunt ætatis noſtræ ſapientes, impoſſibile eſſe cogitationes & repræſentationes in materia cieri nec easdem motu quodam abſolvi poſſe vid. WOLFIUS *in Pſychol. ration.* §. 44. Cui tamen admodum ſubtilis D. NENTERUS contradicit: materiam cogitare poſſe ex loqvela aſinæ Bileamiticæ adſtruens. *In Phyſiologia ſua Med. C. III. p. 72.*

§. LXXXI. Sed quam admirabilis etiam eſſet ille

animæ

animæ rationalis effectus, si ad actiones quæ cum deliberatione & ex proeresi fiunt solum concurreret, de quo philosophi potissimum disceptant, volunt tamen Organici animæ vim in eminentiori gradu constituere, atque præficiunt eam quoqve actionibus vitalibus. Sed si ad principium vitale & vitam ipsam rite attendimus, & cum eo animæ rationalis naturam comparamus, absqve perspicillo videmus: quod principium vitale actionibus vitalibus præfectum conscientiam sui ipsius non habeat, necessario proprietatum suarum nisu, & ad finem quidem agat, finem vero nec cognoscat nec ratiociniis consequatur, atque ita non rerum intellectu sed saltem sensu afficiatur: anima vero rationalis uti omnibus patet, eorum quæ agit conscia sibi est, libero arbitrio quid suscipiendum sit expendit, & ita nihil facit quod non sciat.

LXXXII. Sed ut paulo accuratius perlustremus Organicorum sententiam, lubet iterum recurrere ad fontes huius systhematis, celeb. STAHLIUS in theor. med. p. 563. animam pro causa actionum vitalium adstruens, has *non per simplicem unionem animæ, sed actione mechanico-physica ab anima peragi* sibi persvadet, Mechanici omnes id sibi fingere neqveunt, quomodo animæ tanquam enti intelligenti actio mechanico-physica competere possit. Neque intelligo an cohæreant quæ subjungit l. c. primo: *non opus est ad medicum scopum operose hic disquirere an vere immediate ipsa anima sit rectrix vitalis huius actus*, & secundo: *interest omnino medici ut intelligat, quod negotium vitæ secundum veram rationem atqve proportionem summa ἀκριβεία administretur.* Ut porro p.567. probet animam active motus vitales exercere & administrare, recurrit ad animi pathemata, & quemadmo-

dum *in his anima non recordatur quod agat aut quid agat, quod velit aut quid velit, ita anima deprehenditur eiusdem illius suæ voluntatis effectum exercere circa ipsos vitales actus*: exemplo *palpitationum cordis in terrore vel convulsionum ex ira* &c. Et si vel maxime concesserim in pathematibus animæ energiam quandam esse in actus vitales, quum sc: præsentibus pathematibus alterentur, sed si mutationes intuemur quas tum temporis inducit, miramur semper ingentes turbas quas corpori infert. Si ergo eadem ratione extra pathematum concursum agit in actus vitales turbas quoqve concitabit. Quare cum conscia non est anima huius actus, & tamen reliquorum omnium ab ipsa peractorum, principium actionum vitalium sane in anima rationali non latet.

§. LXXXIII. Addam nunc quod ultra in Organicorum hypothesi merito desideravi, scilicet cum ipsi corporis & mentis mechanico-organicam constitutionem statuant, proinde quidem corpus eo saltem respectu sit machina, artificio creatoris tam affabre facta, ut levi quodam nisu dimensas & majores vires exercere possit, quam quidem est ipse ille nisus qui per connexiones machinæ protractus, in eius extremitate fortior evadit; anima itaqve rationalis, impelleret corpus, ut secundum suam mechanicam constitutionem has vel illas actiones præstet. Verum hoc ita dixisse non sufficit, certe talia sibi fingere non adeo licet; potius ostendendum erit ubi sit illa machinæ particula, in qua motus qui totum corpus permeat, incipiat? an illud principium movens huic particulæ adhæreat, aut secundum appetitus suos corpori accedat & iterum avolet? Quæ omnia nullo modo demonstrari possunt, sed tantum uti religionis mysteria creduntur, & difficultates has nemo

est

eſt qui ſolide explicaverit; quid igitur eſt de quo tam acriter controverſamur? nihil niſi id quod ignoramus.

§. LXXXIV. Ex inde ſi anima rationalis revera eſt ens ſimplex, cui nihil admixtum aut concretum, aut coagmentatum inſit, oritur illa qvæſtio: qui talis ſubſtantia immaterialis agere poſſit in corpus? Mechanici in ſolvendo hoc problemate nimis caute incedunt, dum quidem ſpecialiter negent animam rationalem agere in corpus ſuum at vero univerſaliter negare verentur, ens ſimplex poſſe agere in res materiales, putant enim ex inde divinis actibus quorum potentia mundus effectus eſt aliquid derogari.

§. LXXXV. Diſtant itaqve Mechanici ab hac Organicorum hypotheſi. Eorum theſis quam ſupra collocavi ita comparata eſt ut eiusdem ſenſus ſit perſpectisſimus: Nimirum exiſtimant eſſe corpus in perpetuo varie tamen directo motu conſtitutum, animam vero in continua ſenſionum & cogitationum ſerie verſari; qui tamen motus corpori, & cogitationes menti, vere propriæ & incommunicabiles ſint, nec eſſe harum ſubſtantiarum quæ adeo diverſæ ſunt alium nexum, quam quod alterius cogitationes cum alterius motibus conſpirent. Et ut etiam ſufficientem huius rei rationem reddant, adducunt *decretum* Dei, qui voluit ut hæ duæ ſubſtantiæ in actionibus & cogitationibus conſpirent, propterea eorum hypotheſis vocatur: SYSTHEMA HARMONIÆ PRÆSTABILITÆ. Monetur tamen B. L. ne exiſtimet: velle me omnes Medicos mechanicos ad hanc harmoniæ præſtabilitæ hypotheſin adferre; de iis tantum loquor qui eouſque philoſophati ſunt, ut ſufficienten huius nexus rationem tradere voluerint, & proin quotuplex etiam ſyſthema ſit quo nexus animæ & corporis reciprocus explicatur, manet tamen hypotheſis.

 §. LXXXVI.

§. LXXXVI. Proinde ut de hoc Mechanicorum dogmate meam qualemcunqve ſententiam pronunciem, omnino judico: illud in Medicinam nullam prorſus difficultatem inferre, reliquas vero quæ in Theologia, Doctrina morali, politica, metaphyſica, & undiqve conquiruntur & coacervantur, vel nullas eſſe vel ad hanc meam epicriſin non ſpectare. Cæterum theoria medica abſqve etiam his philoſophorum luſibus conſtans manet & ſoliditate ſua gaudebit, *longe enim alia eſt medicina corporis quam medicina mentis* ut obſervat PLUTARCHUS. *de tard. dei vind. p. m. 360.* Multo minus praxis medica hiſce glaucomatibus opus habet, nihil enim unquam practicum reddet ſollicitum utrum patientes organice utrum mechanice poſt pilulas purgantes ſedes abſolverint. Concludam vero hanc tractationem, verbis ingenui & celeberrimi STAHLII in præfatione ad JUNCKERUM p. 8. *Antiqviſſimam illam, & ipſa veritate ſimpliciſſimam ſententiam pro fundamento ſubſterno, quod vera cauſa efficiens (directionum illarum, quas pro pure medico ſcopo, pro efficiente cauſa agnoſcere ſufficere poterat) ſit in homine ipſa anima. Agnoſco quod hac propoſitione, ut pote non tam ad medicam quam phyſicam antropologiam plane ſuperſedere potuiſſem - - - - tædet autem merito atqve piget imo profecto pudet altercationum quæ ſuper hoc negotio intentatæ, & per aliquot jam ſupra viginti annos, vix non ſingulis diebus recoctæ appoſitæ, laſſata tandem patientia, ad logicorum atque metaphyſicorum in ipſis trivialibus ſcholis ſcabella litem hanc rejicere extuderunt.*

THE-

THESIS SEPTIMA SYSTEMATIS

Organicorum.	Mechanicorum.
Anima ergo corpus ſuum ſtruit.	Hinc nec corpus ſuum ſtruit.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

§. LXXXVII. Quam inanibus & vanis ſpeculationibus noſtro adhuc ævo Theoria Medica referta ſit ex hac ipſa quam nunc produxi controverſia luculenter diſpaleſcit, ubi veterum nænias, recentiores noſtri decantare non verentur, non aliter ac ſi hæc ſomnia propter antiquitatem magno religionis cultu ſuperſtitioſe admirari velint.

§. LXXXVIII. *Anima ergo ſibi ſtruit corpus ſuum*, ajunt Organici, vid. STAHLIUS *Theor. med. p. 261.* Autor hoc loco adſerti ſui rationem exinde petit; quoniam corpus ſit propter animam, ejuſqve actibus & motibus, uſibus & finibus &c. deſtinatum & proportionatum, nihil propterea ſimplicius ac decentius eſſe, quam ut anima ipſa ſibi hoc inſtrumentum ſuum præparet & ſtruat. Statim conſpicitur eſſe allegatam hanc rationem nullius momenti: non dicam: ipſum hoc principium demonſtrandi ſub lite verſari, ſit potius conceſſum, per me enim nunc licet, eſſe corpus tale deſtinatum inſtrumentum motibus & directionibus animæ rationalis; quæ eſt igitur neciſſitas, ut qui utitur inſtrumento, ſibi ipſi inſtrumentum conficiat? an chirurgi lanceolas ſtylos ſpatulas &c. cudunt? præterea qvantum ego perſpicio inter rationem decidendi & deciſum ipſum nullus revera eſt nexus.

§. LXXXIX. Jam poſſem miſſum facere argumentum; at ſubſunt adhuc nonnullæ argutiæ, quibus haud

pauci

pauci mirifice delectantur, ſcilicet qværitur: *primo*, unde anima materiam nanciſcatur corpus ſtruendi? non potuerunt id ex ſimili aranearum illuſtrare, quæ materiam habitaculi ex viſceribus ſuis depromunt, ideoqve ex ſemine parentum præparari corpus cum cæteris definiunt. *Secundo* recentiores uti vocantur naſutuli ſcire etiam avent: quomodo anima ad hoc ſemen accedat? quibus reſpondet ipſe ARISTOTELES: animam ineſſe ſemini, a quo effato omnis eius genuina proles ne latum quidem ungvem receſſit.

§. XC. Forte jucundum erit huius placiti ſyſtema, quod brevibus deſcribam, perlegere. Structura corporis Organicis non ſolum ſignificat: actum illum, quem anima rationalis ſuſcipit ad efformandum fœtum in utero quoad formam & qualitatem, ſed etiam eundem actum poſt generationem, continuatum, quo anima diſpenſando res non naturales, corpus quoad quantitatem augeat & diſponat. Eſſet itaqve anima in ſemine maris, in quo ceu in vehiculo uſqve in uterum tranſponatur, ſed hæc una anima ſufficeret quidem ad *homunculum Paracelſianum*, non vero ad integrum hominem efformandum, quapropter unam adhuc, matris nimirum animam ſurrogant, ex hac duarum animarum commixtione fit anima foetus; *ſi quis autem animum animo commiſceri minime ſibi perſvadeat, is ratione caret*, multa autoritate effatur HIPPOCRATES, *de victus ratione* Lib. I. p. m. 348. in utero itaqve anima multa certe & præclara ſtruit, mox ſutorem, mox muſicum, cito rurſus grammaticum agit, uſqve deinceps poſt varios illos actus corpus perficitur & hi motus & actus poſt genituram continuantur & perdurant, vid. HIPPOCRAT. c. l.

§. XCI.

§. XCI. Non equidem recentioribus Organicis hæc cuncta imputare volo, plurima tamen ipſi ſuis calculis comprobant, & argumentorum ſyſtemate, ut loqui amant, tuentur. Ex paulo ſuperioribus Medicis unicus DANIEL SENNERTUS hæc omnia fere ex ARISTOTELE & HIPPOCRATE fideliter exſcripſit. Noſtra ætate vero ipſe STAHLIUS hæc non ſolum ſtrenue confirmavit, ſed addidit etiam: *Quod ſi anima materiam ſtructuræ aptam non haberet, tum eam ſibi ipſa præpararet* l. c. p. 276. Quam degenerarunt itaque fiendi modi ab illo antiquiſſimo, ubi Deus creavit corpus ex nihilo, & abſoluto opere ſpiraculum vitæ adjecit? non ſimiles ſumus Adamo qui erat creatura tantum, ſumus nos creaturæ & creatores.

§. XCII. Sed non omnia huic animæ quæ fœtui propria eſt tribuunt Organici, relinquunt adhuc aliquid animæ matris, ut difficultatibus quibusdam expedita felicitate effugere poſſint. Nimirum: ſi in formatione fœtus extraordinarii quidquam obſervatur, id frivolam patheticam matris phantaſiam pro cauſa habere autumant. Cum itaque harum animarum vires & potentiæ inter ſe dimicent, nulla ratio eſt, quæ animæ matris victoriam decernere disſvadeat, ſecundum tritum illud: *fortior, potior.*

§. XCIII. Sufficiant hæc de ſtructura fœtus in utero. Tranſeam ad nutritionem, & animæ rationalis œconomiam, quam obſervat circa augmentandam quantitatem corporis ſui. Lubet ad patefaciendum Organicorum circa hoc momentum ſententiam allegare, quæ hunc in finem explanavit ille medicamentorum Halenſium per Germaniam diſpenſator C. F. RICHTER. in lib. **von der Erkenntniß des Menſchen** Cap. VII. §. 28. p. 208.

p. 208. lepide admodum proferebat, cum doctrinam de mechanismo C. H. absurditatis arguere vellet, suam de organismo hoc argumentulo probat, desumpto ex nutritione corporis: sc. corpus humanum quotidie omnium suarum partium incrementa capessere, aliquid alimentorum ad ossa, ad cartilagines, musculos, & copiam sangvinis &c. conferre, jam nisi anima rationalis illa alimenta ordine dispesceret, omnia fortuito fierent, atqve sic loco ossis cartilago, loco cartilaginis musculus e. s. p. crescerent, eaque ratione homo parvo temporis spatio monstrum evaderet. Verum cum abunde constet paucissimos hominum interiorem suam structuram nosse, ac propterea ignorare ubi vel cartilagines, vel musculi lateant, facile quoque concluditur hanc partium corporis ordinationem & dispositionem per rationalem animam fieri non posse, quæ sibi eorum quæ in corpore continentur conscia non est §. 81. Cum insuper nos per voluntatem nostram nihil motui interno sangvinis detrahere posse, quovis momento experiamur.

§. XLIV. Quæ cum ita sint, Mechanici, physicis pariter ac metaphysicis rationibus adducti, animam sibi struere corpus negant & pernegant, nec possent id ullo modo admittere, nisi svavem & amabilem systematis sui ordinem interturbari paterentur, cum enim Mechanici §. 58 & 59. in id consentiant, corpus humanum jam natum suæ nutritionis & incrementi causas sufficientes in structura & mensurato partium nexu, & inde resultante motu continere, quid quæso obstat, quo minus ipsi homuncionis seminalis organorum suorum evolutionem per easdem principii hujus vires explicemus?

§. XCV. Tantum vero abest, ejusmodi subtilitates eruditissimorum Medicorum sudore dignas esse, ut potius

tius æquum ſit, haſce e cancellis ſuis exterminare, & in ea loca, ubi otium & quies dominantur relegare.

THESIS OCTAVA SYSTEMATIS

Organicorum.	Mechanicorum.
Hæc anima eſt id quod Medici naturam appellant.	In illa corporis agendi potentia, quæ ex ſtructura & nexu partium ejus reſultat, & quæ perpetuum fluidorum & ſolidorum motum producit, conſiſtit etiam natura humana, non in anima.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

§. XCVI. Vidimus hactenus Medicos circa hypotheſes mere philoſophicas multo fervore & pertinaci quadam diligentia occupatos, videbimus tamen eos adhuc ultra ab arte ſua diſcedere, dum criticos agunt, & de verborum ſignificatu multa ſermonis contentione diſputant, naturam cujus Medicorum veteres miniſtros ſeſe profitebantur, hi noſtri ut peregrinam reſpiciunt, non aliter acſi neſcirent cui medicamentis ſuis opera miniſtrent, naturæ cuncta adſcribunt, eam corpori præeſſe conſentiunt, quid ea ſit diſceptant.

§. XCVII. Organici dum de natura aliquid tradunt, duo potiſſimum monere ſolent, primo veteres omnes in id conſenſiſſe ut vocabula natura, & anima rationalis idem ſubjectum denotaverint. Secundo vero præcipiunt: revera animam & naturam unum idemqve eſſe, nec aliter quam vocis ſono a ſe invicem differre, propterea cuncta quæ de anima rationali ſtatuunt, pariter naturæ convenire adſerunt. Hæc duo itaqve ſunt in quæ commentabimur.

§. XCVIII. Quo ad primum norunt qui veterum ſcripta verſarunt, fuiſſe ipſis communiſſima φύσιως, & naturæ vocabula, cuilibet enim fere rei, propriam ſuam naturam adſignabant, multi ſatis de naturæ mundi, deorum &c. paſſim commentabantur, nec tamen multos vidi de huius vocis notione valde ſollicitos, quo demum factum eſſe conjicio, ut quiſqve pro arbitrio ſuo his terminis abuteretur, & exinde tam varii eorundem ſignificatus introducti fuerint, quod Lexicographi ſatis confirmant. Indignum laborem fore judico, ſi ſomnia philoſophorum veterum de natura hominis hic decantare vellem, aliquid tamen de eorum hypotheſibus adferre apprime erit, ſiquidem Medici multa horum dogmatum philoſophorum ſcholis accepta ferunt. Quicquid ſit, ii, qui præ cæteris commemoratu digni ſunt philoſophi omnes, animæ ſuam propriam naturam vindicarunt; unus & ex omnibus egregius CICERONIS locus dicto fidem parabit, quem totum hic transſcribere non vereor, puto enim hanc ipſam opellam meam ex eo inſigniter ornari poſſe, extat in *Tuſcul. qvæſt. Lib. I. p. m. 295.* „nam ut illa (Deorum) natura coeleſtis & terra vacat „& humore, ſic utriusqve harum rerum humanus animus eſt expers, ſin autem eſt qvinta quædam natura „ab ARISTOTELE inducta, primum hæc & deorum „eſt & animorum. „ Animorum nulla in terris origo „inveniri poteſt: nihil enim eſt in animis mixtum, atqve concretum, aut quod ex terra natum aut fictum „eſſe videatur, nihil ne aut humidum quidem aut flabile, aut igneum, his enim in naturis nihil ineſt quod „vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & „præterita teneat, & futura prævideat, & complecti „poſſit præſentia, ſingularis eſt igitur quædam natura

atqve

atqve *vis* animi, sejuncta ab his usitatis notisqve natu-„ ris. „ Patet ex his & quam plurimis CICERONEM in hac dissertatione sequi ARISTOTELIS de natura definitionem, quod sit *motus & quietis exordium, in quo proprie & per se non casu inest* ut habet PLUTARCHUS de *placit. phil.* Lib. I. C. I. atqve propterea primo loco deos & animum hominis naturam, & quintam naturam appellat, quia nimirum dii sunt motuum universi productores, & secundum ipsius supra jam (§. 53.) allegatam hypothesin, in anima causa motus corporis existit. Sed adducit etiam naturam animi, quam vocat ejusdem *vim* quæ proinde esset natura naturæ. Quousqve igitur nos perveniremus si omnium naturarum naturas investigare velimus? Cum CICERO hæc ex scholis SOCRATIS PLATONIS & ARISTOTELIS habeat, ex quibus etiam quam plurimi Medici profecti sunt, dubium non est, quin isti animam humanam sæpius naturam vocaverint, imo credo adhuc, eos plerumqve ad indolem suæ ætatis multa obscura de naturis protulisse. Ad HIPPOCRATEM ascendo, de quo testatur CELSUS ipsum Medicinam a studio sapientiæ separasse, ut refert insignis Hallensium Professor D. JOH. HENR. SCHULZ qui simul luculenter evincit: HIPPOCRATEM noluisse, ut Medicina a priori ex philosophia addisceretur, in *Histor. Med. Period I. Sect. III Cap. I. §. 26-30.* Ideoqve colligo, bonum HIPPOCRATEM in eo sese nobis exemplo proposuisse ut nimiam subtilitatem & triviales lusus qvæ sacram artem hucusqve polluerunt, plane exterminaverit; ubi vero in scriptis eius talia admixta conspiciuntur, hæc a græculis qui ea interpolarunt derivanda esse suspicamur. Perlegi locos communes qvos edidit FRANCISCUS VALLERIOLA, ipsius

HIPPOCRATIS libros diligenter perlustravi, nec vestigium saltem deprehendi, ipsum HIPPOCRATEM vocabulo naturæ ullibi animam rationalem indigitare velle, atqve etiam huius sententiæ meæ non contemnendum præsidium invenisse mihi videor apud GALENUM Hippocraticorum librorum accuratissimum lectorem, qui tale de Hippocrate judicium fert: ipsum quidem naturæ vim sæpius celebrare & admirari, quæ tamen substantia sit naturæ, pronunciare ausum non esse in lib. de Hipp. & Plat. decret. L. IX. C. 8. p. m. 572. de reliquis Medicis quid dicam fere nescio, post tempora HIPPOCRATIS is demum genuinus erat Medicus qui eundem seqvebatur, & felix qui ipsum intellexit. Nolo pertinaciter contra eos disputare, qui statuunt veteres Medicos per naturam animam rationalem passim vel ubiqve intellexisse, per me quidquid faciant licet, id tantum dico non semper liqvet, ex ea ratione cum omnes qvotqvot eorum perlegere potui, animum ab anima semper distinxerint, ita ut nunquam satis adsequi potuerim, quid ex his distinctis naturam denotare debeat. Recentiores vero nostros magna ex parte ita sentire eo certius constat.

§. XCIX. Disquirendum nunc venit alterum, scilicet: an revera natura & anima rationalis idem sit? respondeo: iis quidem qui utrumque confundunt, non vero qui distingvunt, idem est. Proinde Organici qui hæc vocabula pro synonymis habent, jure quodam ea quæ animis propria sunt naturis vindicant.

§. C. Sed cum verborum significatus variis etiam soleat esse varius, naturam quoque in alio sensu a nonnullis accipi minime miror. In eo quidem moderni philosophi cum ARISTOTELE consentiunt, ut sicut ipse

fecit,

fecit, naturam corporis eam constituant: quæ est causa motuum corporis, sed ab illis differunt, qui animam *naturam* consequenter causam motuum corporis dictitant, Mechanici quod superius (Thes. IV.) de causa vitam conservante tradiderunt, de natura repetunt, *in illa corporis agendi potentia* inquiunt *quæ ex structura & nexu partium ejus resultat, & quæ perpetuum fluidorum solidorum motum harmonice conspirantem producit, consistit natura humana.*

§. CI. Ut in hoc passu eo melius Mechanicorum mentem detegere possim, maxime repetitum volo quod supra jam §. 58. & 59. retuli. Cætera quæ huc faciunt addam. Concedimus: naturam corporis esse ejusdem causam moventem, disquirendum itaque venit primo: an corpus possit habere in se & per se talem potentiam agendi & movendi, vel an natura corporis ita comparata sit, ut ex ejus structura & nexu fluidorum ex solidorum motus produci possit? Constat corpus humanum ex partibus solidis & fluidis. Fluida quæ alias conspicimus moventur semper, aqua pura quæ apparenter quiescit, varios tamen motus exserit, evaporat, terrestria corpuscula in fundum deturbat, & a sua lympha separat, deinde cum spirituosa & mineralia quæ a putrefactione conservant sejuncta fuerint, incipit putrefactio, gignuntur lumbrici, & motus eousque perdurat quousque substantia aquæ remanet. Experientia nos dubitare non sinit cum cæteris fluidis, mercurio, spiritu &c. pariter, in respectu tamem ad cujusvis naturam ita comparatum esse, imo motus horum fluidorum quoad quantitatem in barometris & thermometris cognosci possunt. Videntur hi ex sola compositione ipsorm nulla interveniente causa excitari, etsi vero id non sit, apparet tamen ipsorum summa

pro-

proclivitas ad motum. Illa fluidorum proclivitas ad motum valde adminiculatur, ſi aliud quidquam accedit, ut nimirum in quibusdam circumſtantiis ponantur fluida v. g. conſtituamus fluidum in ſublimi quodam loco etſi nulla accedat cauſa impellens, decurrit, & quo clivius eſt ſpatium & longius, eo majore & fortiore impetu ruit, quin imo fontes artificiales ex quibus aqua proſilit, oſtendunt, qvod ſi primo fluida rapidiſſimo motu deſcenderint, ea etiam rurſus cum ingenti impetu aſcendere. In C. H. talia fluida non unius generis deprehenduntur, eſt ibi ſangvis, lympha, ſerum, bilis, liquor genitalis, urina, ſuccus pancreaticus & ſecundum plurimos liqvidum nerveum &c. Cum vero vaſa horum fluidorum, arteriæ, venæ, vaſa lymphatica, ſpermatica, veſicæ fellea urinaria, &c. ita conſtructa & fabricata ſint, ut fluida quæ in ipſis continentur ad motum valde proclivia adjuventur, ita, ut præſertim ſangvis in ramificationibus venarum & arteriarum citiſſime decurrere poſſit, & cum alius adhuc ſangvis ſemper ſuccedat qui decurrentem deprimit, ut aſcendere poſſit, continuus motus & circulus ſangvinis adſervatur. Et ſi itaque unum tantum motum conſtituerimus, reliquos muſculorum, tendinum &c. ex compoſitionis artificio & Anatome demonſtrare facillimum erit, vaſa enim fluidorum ſunt ſolida, motus fluidorum intra ſe exiſtentium, ipſa patiuntur, adjacent aliis ſolidis, muſculis, muſculi nervis, nervi tendinibus &c. quæ omnia oculis cernimus & intelligimus.

§. CII. Videor mihi id præſtitiſſe quod volebam, oſtendi enim poſſibile eſſe, quod hæc natura, motus & quietis exordium, in ipſo corpore ſita ſit, & talis fluidorum & ſolidorum motus ex ſtructura & nexu partium reſultare poſſit.

§. CIII.

§. CIII. Sed quæritur secundo loco an hæc revera ita existant, uti a me ficta sunt? Ad hoc demonstrandum ego quidem non sufficio, res ipsa tamen etsi quam maxime ardua sit, probabilitate sua non caret. Si enim cæteris quibusvis rebus sua natura inest, si in plantis succus nutritius per solida, non aliter ac per venas sangvis in C. H. permeat &c. quid obstat corpori humano earum omnium præstantissima & artificiosissima, talem adstruere. Ad rite enodandam vero, hanc quæstionem physici pariter ac metaphysici adscribunt quandam vim motricem corpori, quæ non latet in principio incorporeo, sed quæ resultat ex intima structura & nexu partium corporis, quamqve vim motricem dicunt causam omnium motuum in corpore, at animadvertunt hanc vim motricem in corporibus, non nisi in corporibus motis sese manifestare & ideo semper motui locali adhærere; sed cum nec per essentialia corporis attributa,nec per materiam,hæc vis motrix determinari possit, a difficultate quo hæc invicem concilient se ita expediunt,dicendo: omnem materiam a rerum universi cognitis principiis in continuo motu esse, hinc rejiciunt omnem corporum impulsum ad motum, in primævam istam creatoris voluntatem qua Deus in creatione, materiæ motum junxit, dicuntqve nostrorum corporum motum non esse novum, sed duntaxat continuatum a primo creationis impulsu pendentem, hæc si applicuero ad corpora animata nihil impedit quo minus motuum horum causas in ipsa materia ex qua constant fundatas esse. Addunt pro probanda hypothesi, omnia corpora quoqve in motu esse, nec nisi propter resistentiam contiguorum quiescere posse, unde etiam LEBNITIUS. *Act. Erud. 1695. p. 145.* ex eodem fundamento dixit: corpus omnimode quies-

cens a rerum natura abhorrere. Quæ omnia si experientiæ conformia deprehendimus, probasse me spero corpus omne in se & per se talem potentiam agendi & movendi habere, & naturam corporis ita comparatam esse, ut ex ejus structura & nexu fluidorum & solidorum ipsi convenientes motus producat. Modum vero quo Deus in principio motum junxit materiæ sibi soli reservavit, nec nostræ tenuitatis est hoc disqvirere, & forte si cognitioni humanæ dabitur penitius in elementa rerum materialium inquirere, sufficiens quoqve vis motricis, cognitio, & ratio inveniri poterit.

§. CIV. Cæterum cum hæc de naturis controversia cum iis quas *Membr. II. & III.* exposui eadem sit, idem quoqve judicium de illa ferre necessitas svadet.

THESIS NONA SYSTEMATIS

Organicorum.	Mechanicorum.
Morbus est actus, ab ipsa anima materiam perniciosam expugnandi gratia susceptus, hinc ad vitæ conservationem summe necessarius.	Hic motus (*Membr. VI. & VIII.*) a naturali statu deflectens & turbatus dicitur morbus.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

§. CV. Præ cæteris illis artibus quarum magis perfecta scientia in Medicis semper fuit desiderata, illam maxime quæ morbos propulsare novit, ab iisdem requiri, liquido satis constat; putat enim fere quisqve eo potissimum vitam & sanitatem, gratissimos quos sibi optat status conservari, dum utriusque infestissimus hostis, quam fieri poterit longissime abesset. Proinde non potest fere quisquam existimare, Medicos de idea quadam

morbi

morbi in adeo diverſas ſententias, abire, nec ita factum eſſet unquam, niſi uterque hypotheſes ſuas philoſophicas, quibus magis quam experientia & arte delectantur ubivis applicare velit. Ego operam daturus ſum ut in declaranda diverſorum ſyſtematum repugnantia, cum accuratione brevitatem conjungam.

§. CVI. *Morbus* eſt *actus*, *ab ipſa anima ſusceptus* ajunt Organici, neqve vero id ab eorundem principiis abhorret, potius ſi hæc vera & demonſtrata eſſent, nullus ſuperforet diſſenſus, imo potius amica quædam conſpiratio: ſed cum de hoc principio non ita conſtet, & nos-jam §. 87. evicerimus animæ rationali, in motus vitales corporis nullum plane jus competere, non obſtat quo minus huic organicæ hypotheſeos conſectario reluctemur, uſqve dum, ut deſideratum eſt, ſolenni demonſtratione confirmetur. Ut vero eo melius pateat ratio, cur hanc controverſiam ad recenſitas lites de motibus vitalibus rejecerimus, id ideo factum eſſe declaro, quoniam motus iſti materiam pernicioſam expugnandi gratia inſtituti & animæ adſcripti, revera ſunt ex genere motuum vitalium.

§. CVII. Ex hoc fundamento etiam Mechanici potiſſimum illud argumentum pro contrario inducunt: Eſſe quidem ingentis numeri morbos, qui ſecundum SIDENHAMIUM duas tertias generis eorundem conficiunt, quiqve in exacerbatione ſangvinis præter naturam velociter moti conſiſtunt, puta febres quaſcunqve, quas adeo (ſi anima rationalis motus vitales inſtitueret ac ordinaret) jure meritoqve eius motus, materiam pernicioſam expugnandi cauſa noviſſime ſusceptos, nominare poſſimus: at vero cum adhuc ſatis multa ſuperſint morborum genera, in quibus vitales motus magis decreſcunt

quam incrementa capiunt, de iis vero tantum abeſt dici poſſe, quod ab anima de novo inſtituerentur, ut potius dicendum ſit, animam in actu ſuo motorio ſenſim ſenſimqve aliquid remittere.

§. CVIII. Poteſt etiam imo forte ſolet huic Organicorum adſerto illud objici, quod materia hæc perniciosa & morbifica in corpore humano exordiens, paulatim quoad quantitatem creſcat, vel qualitatem depravetur, ita ut in principio vix ſenſibilis ſit, dum vero noxia qualitate ſua, aut copia oneroſa corpus infeſtet, ſangvinis circuitum præpediat, ibiqve ad obſtructiones in vaſis minimis cauſam ſubminiſtret; aut ſi vero materia peccans in ſolidis cavis deliteſcat, hæc extendat premat, & pro natura ſua inflammationes, vel frigidos tumores excitet. Igitur in omnibus hiſce caſibus, ubi hæc materia turbas pariens ſub conſiderationem venit, agit tantummodo in corpus noſtrum, ipſius tum fluidas tum ſolidos partes afficiendo, non vero in animam, quæ ex inſtitutione motus reciproce aliquid pati deberet. Deniqve ipſum corpus vivum, hac ratione laceſſitum interno quodam ſenſu cum plantis & brutis ſibi communi, quique in ſolidorum ſtrictura, & reciproca laxatione conſiſtit, niti, ut materiæ morbificæ noxas eluderet & motus vitales intenderet, ſicqve per vim eſſentiæ ſuæ & ſtructuræ, nocentibus obviam ire. Quum ſi hoc munere fungendo anima deſtinata eſſet, quam fingemus rationem, cur corporibus pariter ſeſe movendi vis, conatus, & intentio quædam infuſa ſit? Quis enim tales ſolidorum motus reciprocos, ubi in manu frigori expoſita cutis contrahitur & anſerina fit, ut per hanc conſtrictionem frigus poros amplius ingredi abarceatur, diverſos exiſtimabit ab illis actibus, quos plantæ

&

& bruta fuscipiunt? nihil diverſi obſervatur in roſis tulipis aliisqve floribus, qui ingruente veſpera ſponte ſeſe contrahunt, & ſole redeunte rurſus dilatant, & quod addam galli gallinacei cantus, qui in mutatione aeris extraordinarius obſervatur pariter, ut in C. H. & in plantis ſine ſuperadjecta cauſa rationali procedit.

§. CIX. E contrario Mechanici morbum adeſſe ſibi fingunt, cum fluidorum & ſolidorum corporis motus alias conſpirans a naturali ſtatu deflectit. Eſt hæc definitio generalis, omnes morborum ſpecies ſub ſe comprehendens, eſt præterea ſcientifica, circuli ſangvinis conſiderationem, tanquam ſanitatis morbiqve cauſam originalem involvens, quod ſi enim hic circulus a naturali ſtatu deflectat, effectus eius in toto corpore vel ſaltem in quadam eius parte manifeſtatur, ſi in toto corpore omnes ejus actiones labefactantur, ſi in parte quadam, pars adfecta, cui deſtinabatur functioni, non amplius inſervire perfecte poteſt, adeoqve etiam Jll. WOLFIO definitur morbus, quod ſit: *ſtatus corporis, in quo una vel plures ejusdem partes ita comparatæ ſunt, ut cui olim deſtinabantur functioni amplius non inſerviant, in hor. ſucciſiv. 1729. p. 10.*

§. CX. Sed recurramus cum Mechanicis ad priora: Deus junxit materiæ vim movendi §. 149. 103. igitur corpora eadem vi gaudent: materia morbificans agens in corpus, excitat & intendit hos motus, qui per naturam & eſſentiam corporis ita jam ſunt determinati, ut tendant in conſervationem corporis, quamdiu huius corporis partes his motibus ſubeundis aptæ ſunt: ſequeretur ergo, hos motus ſanitatis & morborum autores, æqve per nexum partium corporis vivi explicari poſſe, ac per animam, quæ vel ideo excluſa manet, quia nec præſcientiam futurorum, nec conſcientiam præſentium motuum habet.

§. CXI. Quod vero hic diſſenſus in praxi clinica nullus ſit, vel ex inde patet, quod Agyrta & vetula, quibus illa difficultas de animarum vi motrice & mechanicó corporis habitu nunquam in mentem venit, ſæpius cum doctiſſimis Medicis de curationum celebritate certaverint, imo freqventer admodum Circe Aeſculapio felicior & præſtantior judicata fuerit.

THESIS DECIMA SYSTEMATIS

Organicorum.

Febres omnes excepta peste, sunt intensiones motuum vitalium se & excretoriorum, a natura humana vitaliter movente ad conservationem corporis institutæ directæ & ad effectum productæ.

Mechanicorum.

Febres nihil aliud sunt quam motus sangvinis & solidorum exarcerbationes reciprocæ, functionum læsiones inducentes, adeoque morbi.

ΕΠΙΚΡΙΣΙΣ.

§. CXII. Potuissem equidem hoc argumentum de febribus in præcedente capite tractare, & quoniam febricitantes omnes se morbo adfici dicere solent, febres inter species morborum collocare; at vero cum multis placeat, morbos in noxios & salutares distingvere, ad quos potissimum febres referuntur, de his quoqve nunc ut de singulari quodam themate loqui breviter, animus est.

§. CXIII. Prolata Organicorum de febribus definitio, formalem & instrumentalem earundem rationem complectitur, & quod formalem attinet nullus est dissensus inter Organicos & Mechanicos, ambo largiuntur, & id eo magis posteriores annuere volunt: febres esse intensiones motuum vitalium; ex apposita enim definitione patet, febrem esse exacerbationem motus saugvinis, qui certe est motus vitalis, ab organis, vitalibus actionibus destinatis pendens, quare etiam ipsis essentia febris in pulsu frequenti, cum intensione caloris naturalis actiones lædentis constituitur.

§. CXIV. Sed quoad illam instrumentalem febrium rationem, de causa impellente, quam utriusque systematis sectatores semper clamitant, eo longius distant: Organici ut solent ad providam suam naturam hic iterum recurrunt. Nihil in hoc dogmate animadvertendum habeo amplius, nisi quod supra jam ex Mechanicorum mente multis in locis adposui, nimirum: animæ nullum jus esse in motus cordis a quo sangvinis circulatio proficiscitur, vel augendos vel minuendos: §. 93. animæ tanquam enti sui conscio non com-

petere

petere actiones quarum conscia non est: §. 81. animæ non tribui posse motus in corporibus observandos, sed motus ipsi adscriptos per impropriam locutionem, dici motus: §. 68. animam si tali dominio in corpus suum gauderet, tum illo pessime abuti, quando tarde nimis & sero de corporis sui vindicatione cogitet, quod non in tempore & antequam incrementum capiat materia morbosa, ipsam expellat, sed tandem natam, & corporis partibus corruptionem inferre aptam aggrediatur. §. 68. Taceo tamen nullam rationem sufficientem allegari posse, cur anima non potius de aliis quibusdam remediis cogitet, quam ut febribus sibi ipsi, & corpori suo adeo molesta sit, præsertim cum ad conservationem corporis & expurgandas nocituras materias hos actus instituere dicatur.

§. CXV. Singularem hoc & propriam considerationem meretur, quod Organici has febres ad *conservationem* corporis tendere pronuncient, adeoque ex morborum catalogo proscribant. Videtur certe obstare, quod his motibus ad conservationem corporis institutis, adeo contrarius & funestus sæpe exitus eveniat, qui ut finis nullatenus medio respondet. Imo vero dixerim omnes febriles motus a quacunque causa impellente, sive ab anima rationali, sive ab ipso corpore productos, nihil minus quam corporis conservationem intendere, quodsi enim hoc esset, quæro: cur effectus horum motuum in sangvinem sint adeo perniciosi? tota sangvinis massa, si nihil minus adsit quam febrilis materia quam expurgandam sibi sumit anima, a motu ejus intensiore in quo consistit febris natura, naturalem suam crasin amittit, & caloris excandescentia depravatur, non obstante putatitia hac animæ bona intentione, idque eo magis apparet in febre continua sano homine citra materiam existentem, a solo, nimio tamen motu locali & calore externo solis orta, ex cujus excandescentia vitalis succus sanusque omnino sangvis adeo depravatur, ut nisi obviam eatur his motibus, & calori febrili extingvendo, totalis humorum corruptio & mors sit metuenda, quare etiam argute admodum A. BORELLUS *de motu animalium p. II. C. XXII.* submonuit: urinæ in febribus contenta

mini-

minime ſemper materiæ morbificæ præexiſtenti, ſed effectui febris, ſc: immoderato calori & attritui & decompoſitioni partium ſangvinis eſſe adſcribenda. Et qui quæſo explicare poſſunt Organici febres in brutis animantibus, in quibus poſt triduum ut plurimum ſequitur funeſtus effectus, imprimis ſi epidemica labes ſubſit: forte reſpondent: hoc animæ rationalis abſentiæ eſt tribuendum, quod ſucceſſu laudabili deſtituatur febris in brutis. Sed nolo jocari ubi ſerio mihi agendum eſt. Equidem non is ſum qui febres interdum ſibi, aliquando etiam aliis morbis præſidio eſſe non poſſe exiſtimet, ſed hoc aliter intellectum non volo, quam in caſu, ubi naturæ vires vel motus ex ſtructura & nexu reſultantes, morbificæ materiæ noxas ideo vincunt, ut bonus ſeqvatur effectus, pariter ac videmus in aliis morbis citra febrem v. g. ſcabie, quæ, protruſa ſemel exanthematica materia ab aliis morbis præſervat. Quod de peſte addunt, id eo lubentius concedo, quo obſcurior mihi adhuc cum cæteris, peſtis genuina & vera indoles nota eſt.

§. CXVI. Ob has igitur quas poſui rationes, forte etiam ob plures adhuc alias, Mechanici febres longe aliter definire conveniunt, ſcilicet: motus ſangvinis & ſolidorum exacerbationes reciprocas, cum functionum læſione, adeoqve morbos: & ex ſtructura corporis non ab impulſu animæ rationalis derivandos.

§. CXVII. Ego vero febres in quibus ſæpe aut gelidus tremor ima oſſium concutit, aut rabioſus æſtus exarefacit libenter relinquo, atqve elaboratis hiſce X. theſibus, non aliter ac ſuperatis totidem ærumnis, ad gratum otium, & ad finem propero.